præcipias, ut conceſſionem ſuam, omni contradictione, & appellatione ceſſante, ſtudeat revocare. Quod ſi diſtulerit, tu eamdem conceſſionem, appellationis remoto remedio, auctoritate noſtra non differas revocare.

NOTÆ.

1 a Vvigornienſi.) Ita etiam legitur apud Ant. Auguſt. in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 18. ſed in Concilio Lateran. *p.* 40. *c.* 1. ita inſcriptio hujus deciſionis concipitur, *Idem Exonienſi Epiſcopo*; & meo videri rectius: nam cauſa, quæ committitur in noſtro textu, eſt Epiſcopi Lincolnienſis, qui eſt in Anglia ſuffraganeus Archiepiſcopi Cantuarienſis. Et licet Vvigornienſis ejus etiam ſit ſuffraganeus, propinquior tamen eſt civitati Lincolnienſi (vulgo *Lincoln.*) Exonienſis, unde probabilius eſt, cauſam Epiſcopi Lincolnienſis miſſam fuiſſe propinquiori Prælato, videlicet Exonienſi Epiſcopo.

2 b G.) Guillelmus videlicet, Cantor ejuſdem Eccleſiæ.

3 c *Honores*.) Ideſt dignitates: ſæpe ſæpius enim, qui dignitatem habet, honores habere dicitur, *l. honor* 14. *l. reus* 7. *§. plebeii* 4. *& §. ult.* & paſſim, *ff. de muneribus, & honoribus*, *§. Prætorum*, *Inſtit. de jure naturali*.

COMMENTARIUM.

4 Concluſio traditur. EX hoc textu talis deducitur concluſio: *Electus Epiſcopus ante confirmationem beneficia conferre, vel aliter adminiſtrare non poteſt*. Probant eam text. *in cap. tranſmiſſam* 15. *c. qualiter* 17. *c. nihil* 44. *c. cum in cunctis*, *§. cum vero*, *hoc titul. c. avaritiæ*, *hoc titul. in* 6. *extravag. injunctæ*, *de elect. inter communes*, *c. in nomine*, *circa fin.* 23. *diſt. c. ſi quis ordinatus* 49. 2. *d. c. inter*, *de transl. Epiſc. c. cum jam dudum de præb. c. cum dilecti*, *de purgat. canonica*, *c. ſicut* 33. *de ſimonia*, *c. ſuper his* 16. *de accuſat. c. quoniam*, *§. porro*, *ut lite non conteſt. c. fin. de clerico excom.* Pius IV. *in bulla* 66. quæ extat in Bullario Cherubini, Julius III. in ſua conſtitutione, quam refert Lotherus *lib.* 3. *de re benef. q.* 29. Illuſtrat Layman *lib.* 4. *ſummæ*, *tr.* 2. *c.* 12. *n.* 2. Scortia *in elect. conſt. epitom.* 6. *theorem.* 204. Petrus Gregor. *de elect. c.* 19. *&* 20. Lotherius *d. lib.* 3. *q.* 17. *ex n.* 162. *uſque ad* 324. *& l.* 1. *qu.* 27. Julius Lavorus *de electione*, *c.* 25. *num.* 2. Moez *in d. cap. avaritiæ*, Barb. *in collect. ad ipſum textum*, *& de poteſt. Epiſc. alleg.* 36. *num.* 6. *&* 7. *& lib.* 1. *juris Eccl. c.* 9. *n.* 23. Hallier. *de ſacris elect.* 2. *p. c.* 2. *ar.* 3. *§. fol.* 927. Calderinus *de elect. titul. de reform.* Boetius *tom.* 1. *qq. tit. de regal. num.* 58. Menoch. *de arbitrariis*, *caſ.* 403 Tuſch. *litt. C. concl.* 824. Solorzanus *tom.* 2 *de jure Indiar. lib.* 3. *c.* 4. *n.* 38. *& lib.* 4. *politic. c.* 4. Parexa *tom.* 1. *de inſtr. edit. tit.* 2. *reſ.* 3, Joannes Dartis *de beneficiis ſect.* 6. *cap.* 1. Hieronymus Garzia *tom.* 2. *polit. regul. tract.* 9. *diffic.* 6. *dub.* 1.

5 Impugnatur tradita aſſertio. Sed hæc aſſertio difficilis valde redditur ſequenti juriſconſideratione: Epiſcopus per electionem acquirit jus dignitatis, & Epiſcopatus in ipſa Eccleſia, ad quam electus eſt, textus, & ibi Gloſſa *in c. cum inter*, 11. *hoc tit. cap. cum dilectiſſimis* 8. *qu.* 1. docet Abbas *conſil.* 47. & per electionem tantum cenſetur contractum conjugium inter Epiſcopum, & Eccleſiam *c. quoniam*, *§. ſin vero*, *ut litt. non conteſt.* quod novum non eſt; nam in aliis electionibus, quando quis eligitur ad aliquod officium, vel dignitatem, ex ea ſolum electione acquirit jus ad officium, etiam abſens, & ignorans, *leg. illud*, *ff. de tutoribus*, *& curator.* igitur Epiſcopus tantum virtute electionis ante confirmationem poteſt beneficia conferre, & adminiſtrare bona Eccleſiæ, ad quam electus eſt; præcipue cum confirmatio novum jus non tribuat, ſed tantum acquiſitum conſervet, *cap. cum monaſterium* 13. *hoc tit. c.* 5. *de conceſ. præb.* Accedit, nam licet Epiſcopus electus ante confirmationem non poſſit exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis, tamen beneficia conferre valet; quod ſic probo. Beneficiorum collatio Epiſcopo non competit ratione juriſdictionis, ſiquidem Capitulum Sede vacante ſuccedens in juriſdictione Epiſcopi, non ſuccedit in beneficiorum collatione, *cap.* 2. *ne ſede vacant.* ergo licet Epiſcopus prohibeatur exercere, quæ ſunt juriſdictionis, non tamen prohiberi debebat conferre beneficia. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo; nam electores Imperii: Archiepiſcopi videlicet Moguntinus, & Treverenſis, & Colonienſis, qui tamquam Prælati ſuarum Eccleſiarum eligunt Imperatores, electi tantum nondum confirmati ſuffragium præſtant in electione Imperatoris, & in Collegio Electorali admittuntur, ut fecerunt anno 1555. Daniel electus Moguntinus: anno 1567. Fridericus electus Colonienſis: eodem anno Jacobus electus Treverenſis, ut refert Auguſtus Viſquerus *de elect. Reg. Roman.* § 8. *num.* 41. & ipſe Imperator tantum electus, ante confirmationem Pontificis jura Imperii adminiſtrat, *cap. legimus*, 93. *diſt.* ergo quia electi ante confirmationem habent jus eligendi, & conferendi dignitates, & inferiora miniſteria Eccleſiaſtica. Secundo præſens deciſio imperfecta videtur ex eo, quia Pontifex in ea non irritat collationes beneficiorum factas ab Epiſcopo electo, nec aliquam pœnam illi irrogat, cum Epiſcopus electus, qui ante confirmationem ſe ingerit adminiſtrationi, inhabilis reddi debeat ad ipſam dignitatem, & privari jure quæſito, ut ſtatutum legimus *in c. avaritiæ*, *hoc tit. in* 6. & variis Rotæ deciſionibus probat Julius Lavorus *d. c.* 25. ergo ſaltem in hac parte imperfecta eſt præſens deciſio.

6 Traditur decidendi ratio. Quibus difficultatibus minime obſtantibus vera eſt præſens aſſertio, ad cujus expoſitionem ſupponenda ſunt, quæ de confirmatione Epiſcopi electi adduximus *in c.* 3. *hoc tit.* quibus præmiſſis apparet præſentis deciſionis ratio: nam cum ante confirmationem electus non habeat aliquod exercitium in rebus Epiſcopatus, non debet ſe immiſcere collationi, aut adminiſtrationi beneficiorum, vel bonorum Epiſcopatus, ne rerum ordo confundatur, & ſuperioris auctoritas contemnatur; alias de confirmatione electi non curarent, nec confirmatio aliquid operaretur, & contrarium abuſum dixit Pariſ. *ad ann.* 1251. *&* 1253. Ante confirmationem enim Epiſcopus nullo modo pro Epiſcopo habetur, unde adverſus eum, ſicut adverſus privatum, poteſt accuſatio proponi ſine pœna inſcriptionis; quod non procedit poſt confirmationem, *c. ſuper his*, *de accuſation.* & nunquam Epiſcopus appellatur abſolute, ſed tantum electus, *c. tam litteris*, *de teſtibus*, *c.* 1. juncta inſcriptione, *de teſtibus cogendis*, *c. tua nos*, *de his quæ fiunt a Prælatis*, & Gloſſa in *Clementina prima de pœnis*, docet illa conſtitutione, qua puniuntur, qui in Epiſcopum violentas manus injecerint, non comprehendi Epiſcopos electos: & licet Romanus Pontifex, dum reſcribit Epiſcopis, alios fratres, alios vero filios appellet; dum tamen reſcribit Epiſcopo electo, filium, non fratrem appellat, ut conſtat ex præſenti textu, & ex *c. quam grave*, *de crim. falſi*, nec non ex ſtylo Curiæ Romanæ. Juſte ergo cum Epiſcopus tantum electus adminiſtrandi bona Epiſcopatus ante confirmationem non obtineat, in præſenti aſſeritur, ipſum non poſſe ante confirmationem beneficia conferre, vel aliter adminiſtrationi ſe ingerere, alias privatur jure quæſito, & redditur inhabilis ad illud obtinendum, *c. avaritiæ* 5. *de elect.* cujus textus deciſio procedit non ſolum in electo, verum etiam in poſtulato, *c. bonæ* 23. *hoc tit.* multis relatis docet Tamburin. *t.* 1. *de jure Abbat. diſp.* 6. *n.* 5. item in eo, qui adminiſtrat poſt confirmationem, ſed invalidam: item in eo, qui adminiſtrat poſt appellationem a confirmatione interpoſitam. Tamb. *ubi ſupra*, Gloſſa *verbo Confirmatur*, *in d. c. avaritiæ*. Et licet dicta deciſio continere videatur canonem latæ ſententiæ, ex probabiliori Interpretum ſententia; eſt tamen ſententiæ ferendæ, ut docet Tambur. ſupra, *nu.* 26. Hodie etiam poſt extravagantem *injuſtitiæ*, *de elect.* inter communes, non ſolum deſideratur confirmatio, ut Epiſcopus poſſit adminiſtrare, verum etiam, ut ipſas litteras confirmationis ediderit, exhibueritque coram Capitulo: late docet Lavorus *ubi ſup.* Et in noſtra Hiſpania debet prius obedientiam præſtare magno Regi noſtro, ut fuſe docet Parexa *de inſtrum. edit. dict. tit.* 2. *reſol.* 3. *per totam*. Et ita per præſentationem Regiam hodie Epiſcopi tantum aſſequuntur jus ad ipſam Eccleſiam, non vero in ipſa Eccleſia. Azevedo *conſ.* 14. *n.* 6. magnus Præceptor. Illuſtriſſimus Ramus *in memor. ad Alexand. VII. pro Epiſc. prop.* 3. *§.* 1. *n.* 30. Nec audiendi ſunt Tondutus *reſolut. benef.* 2. *p. c.* 3. *§.* 13. *n.* 35. Petrus Gregor. *l.* 17. *ſyntag. c.* 12. *nu.* 24. Ciron. *in parat. ad titulum de poſtul. Prælat.* qui docet Epiſcopum ita præſentatum, ſaltem ſpiritualia ſtatim adminiſtrare.

7 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec obſtat prima difficultas ſupra adducta, verum enim eſt, electum per electionem jus habere ad ipſum Epiſcopatum, & acquirere adminiſtrationem in habitu, non in actu; acquirit enim per electionem habitum adminiſtrationis, per confirmationem exercitium. Gloſſa *in c. quanto* 10. 63. *d.* & illud jus, quod acquirit per electionem, tantum eſt ad rem, & ad electionem proſequendam, *c. ſi eo tempore* 45. *hoc tit. cap. ut quis duas*, *de elect. in* 6. Unde ſi contingat electum decedere, non dicitur vacaſſe Epiſcopatum per mortem ipſius, ſed per obitum primi, ut reſolvit Tamburin. *tom.* 1. *de jure Abbatum*, *diſp.* 6 *quæſit.* 1. *n.* 21. Nec quod de matrimonio contracto dicebamus, aliquid facit; nam per electionem tantum non dicitur matrimonium contractum inter Epiſcopum, & Eccleſiam; ſed ſicut in matrimonio carnali triplex conſideratur ſtatus conjugii, primus per ſponſalia celebrata, ſecundus per contractum matrimonii, tertius per conſummationem; ita in matrimonio ſpirituali datur triplex ſtatus, initiati per electionem; ſicut enim per ſponſalia non licet contrahentibus reſilire ab illis, niſi ex nova cauſa, *c. ex litteris*, *c. commiſſum*, *c. requiſivit*, *de ſponſal.* ita nec electoribus poſt electionem licet pœnitere, & ab electione recedere, *c. cum inter*, *de elect.* & ſicut per contractum matrimonii contrahitur fortius vinculum, *c. veniens*, *de ſponſal.* ita per confirmationem robur adjicitur electioni, *c. poſtquam*, *hoc tit.* tandem ſicut per conjunctionem corporum redditur vinculum matrimonii indiſſolubile, *c. ex publico*, *cum vulgar. de converſione conjugatorum*; ita per conſecrationem vinculum matrimonii ſpiritualis redditur indiſſolubile, *c. inter*, *de transl. Epiſcopi*. Unde textus *in d. cap. quoniam*, *§. ſi vero*, intelligendus eſt de matrimonio initiato, non vero de rato, aut conſummato: docet Hallier. *ubi ſupra*, *fol.* 928. Nec ſecunda difficultas obſtat: nam licet beneficiorum collatio ſpectet ad Epiſcopum ratione juriſdictionis, ſpectat tamquam fructus ipſius Epiſcopatus, ut docent repetentes *in d. c.* 2. *ne Sede vacante*; unde cum electus aliquid attingere de fructibus Epiſcopatus non valeat, nec ut œconomus, ita nec conferre beneficia valet. Similiter Capitulum Sede vacante, licet ſuccedat in juriſdictione Epiſcopi; tamen quia non ſuccedit in fructuum perceptione, ideo non poteſt conferre beneficia Sede vacante. Nec ultima difficultas obſtat; nam præterquam, quod noſtri textus quæſtio non vertebatur, utrum puniendus eſſet Epiſcopus Lincolnienſis, qui beneficia contulit, pœna in textus *in d. c. avaritiæ*, eſt noviter ſtatuta *in dict. cap. avaritiæ*, a Bonifacio VIII. Supponi etiam poteſt, in noſtro textu excuſatum fuiſſe Epiſcopum a prædicta pœna, ob ignorantiam facti, forſan quia exiſtimavit confirmationem præceſſiſſe, ut ſupponit Tambur. *d. diſp.* 6. *quæſit.* 2. *num.* 9.

Adver-

8 Exponitur c. nihil 44. hoc tit. Adverſatur primo huic deciſioni textus *in c. nihil* 44. *hoc tit.* ubi aſſeritur Epiſcopos commorantes ultra Italiam, poſſe ante confirmationem adminiſtrare; dum tamen aliquid non alienent de rebus Epiſcopatus: ergo poterunt ante confirmationem beneficia conferre, & omnia gerere ea, quæ alienationem non contineant. Cui difficultati Doctores ſatisfaciunt aſſerendo, illum textum procedere ex diſpenſatione Pontificis, ut conſtat ex eo ibi, *Diſpenſative*; unde non proprio jure, ſed ex diſpenſatione. Accedit etiam, quod valde remoti erant a Curia Romana, ut in ipſo textu ſignanter dicitur; ex qua deciſione manifeſte probatur praxis Epiſcoporum Indiarum, ubi Epiſcopi a Catholico noſtro Rege præſentati cum litteris ad Capitulum miſſis, ut ſinant exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis, rite omnia exercent, propter diſtantiam Regnorum, & difficultatem navigationis, ut late probat eximius illorum Regnorum ſcriptor D. Jo: de Solorzano *l.* 4. *politicæ*, *c.* 4. quem tranſcripſit Diana *p.* 12. *tr.* 1. *reſol.* 58. qui etiam *c.* 7. refert propter eamdem diſtantiæ rationem, aliquando contigiſſe, ſine editione bullarum confirmationis, habita tantum expeditionis notitia, Epiſcopum adminiſtraſſe, & conſecratum fuiſſe; quod ſupremum Indiarum Conſilium ratum habuit in caſu Epiſcopi de Paraguai.

9 Intelligitur cap. tua nos, de his quæ. Secundo prædictæ aſſertioni opponitur textus *in cap. tua nos* 8. *de his*, *quæ fiunt a Prælatis*, in illis verbis: *Epiſcopo vel electo*. Ex quibus deducitur, non licere electo Epiſcopo conferre beneficia, ſeu unire locis regularibus cum conſenſu Archidiaconi, ſine conſenſu Capituli, quia illa annexio alienatio eſt: igitur cum conſenſu Capituli licebit Epiſcopo beneficia conferre ante confirmationem. Huic difficultati reſpondendum eſt, in eo textu Epiſcopum non ſolum fuiſſe electum, verum etiam confirmatum, ut ſupponunt ibi Butrius, Zabarella, & Hoſtienſis; ſed quia confirmatus non eſt perfecte Epiſcopus, ut dicemus *in capit. tranſmiſſa* 15. *hoc tit.* ideo appellatur electus, non quia confirmatus non eſſet, ſed quia per conſecrationem non reperiebatur perfecte Epiſcopus; & cum opponeretur Epiſcopo conſecrato, ibi: *Epiſcopo, vel electo*; non poterat alio verbo appellari & cum vere eſſet confirmatus, poterat beneficia conferre. Huic commentario adjungenda ſunt, quæ infra adducemus *in c. tranſmiſſam* 15.

CAPUT X.

a Idem,

COnſideravimus, quod electio Joannis Frontini poſt appellationem ad nos interpoſitam, & contra tenorem privilegiorum Eccleſiæ veſtræ fuerit celebrata. Perpendimus etiam, quod electio poſt illam qualemcumque electionem non caſſatam, necnon & poſt appellationem (per quam ad ſuum ſtatum omnia debent reduci) facta fuit, & illata violentia, quamquam Rex penitus inficietur violentiam aliquam in hoc de aſſenſu, vel conſcientia ſua unquam perpetratam fuiſſe. Quapropter nos electionem utriuſque de communi fratrum noſtrorum conſilio omnino caſſavimus, & vobis in aliam perſonam idoneam, & honeſtam conveniendi liberam tribuimus facultatem; ita tamen, quod utrique prædictorum fama ſua non minus propter hoc integre conſervetur, & quod in aliis Eccleſiis poſſint, ſi Deus dederit, ad dignitatem promoveri. Vobis autem liceat, præter iſtam Eccleſiæ veſtræ ordinationem in alterutrum eorum, ſi voluntas fuerit, iterum convenire, & eum vobis in Abbatem, atque Magiſtrum canonice providere.

NOTÆ.

1 a IDem.) Alexander videlicet III. cui tamen miſſa ſit hæc decretalis epiſtola, nec ex hac collectione, nec ex prima, ubi *ſub hoc tit. cap.* 22. refertur, conſtat; nec etiam in qua provincia præſens caſus contigiſſet.

COMMENTARIUM.

2 Concluſio deducitur & probatur. EX hoc textu talis deducitur aſſertio: *Electio ſecunda facta, prima non caſſata, quia appellatum eſt, vel contra privilegia Eccleſiæ celebrata erat, caſſanda eſt, licet in primo electus denuo eligi poſſit*. Probant text. *in c. ſuper eo*, *c. auditis*, *c. bonæ*, *el primero*, *c. innotuit*, *c. cum terra*, *hoc tit. c. bonæ* 2. *de poſtulat. Prælat. c. ex parte* 10. *de arbitris*, *c. ad probandum*, *de re judicata*, *cap. conſtituti*, *de appel. c. poſt electionem* 7. *de conceſſ. præb.* Illuſtrant Petr. Gregor. *de elect. c.* 18. *n.* 5. Caſtellin. *eod. tr. c.* 4. *n.* 52. Jul. Lavorus *in ſimili tr. c.* 19. *n.* 123. Barboſa *t.* 1. *vota* 39. *n.* 65. Cujac. *in cap. cum in Apoſtolica* 8. *de ſponſal.* Samuel *de elect. tr.* 1. *diſp.* 2. *n.* 27. Acunna *in c. quanto* 10. 63. *diſt. n.* 3. Carzia *t.* 2. *polit. tr.* 9. *difficul.* 6. *dub.* 3.

3 Impugnatur tradita aſſertio. Sed quia veritas diſputando eruitur, *l. fin. §. miſta*, & ibi Bartolus. *ff. de munerib. & honorib. c. grave*, & ibi Gloſſa, *verbo veritas*, *de præbendis*, Vultejus *volum.* 1. *conſ.* 15. ideo pro ratione dubitandi adverſus hanc concluſionem ita argumentor; ſi in hoc textu ad ſecundam electionem Canonici procedere non valerent, maxime quia prima caſſanda erat, ſed prima non poterat irritari: ergo ſtatim ſequi poterat ſecunda electio. Probatur minor. Quæ nulla ſunt ipſo jure, non egent caſſatione, cum per ſe non ſubſiſtant, regula *Non præſtat*, *de reg. juris in* 6. ſed electio facta poſt appellationem, aut contra privilegia Eccleſiæ, eſt nulla ipſo jure: ergo non eget caſſatione. Probatur prima pars minoris ex textu *in c. bonæ*, *el primero*, *hoc tit.* ubi electio facta poſt appellalionem; ipſo jure non valet ex eo, quia omnia geſta poſt appellationem, tamquam attentata, non valent, *c.* 1. *cum vulgar. de appel.* igitur electio poſt appellationem celebrata ipſo jure non ſubſiſtit. Probatur ſecunda pars propoſitionis ex eo, nam privilegium eſt privata lex. *c. privilegia*, 3. *diſt.* ſed quæ fiunt contra leges, ipſo jure nulla ſunt, *l. non dubium*, *C. de legib. c. vide*, 10. *diſt. c. quæ contra jus*, *de reg. juris*, *lib.* 6. igitur electio facta contra Eccleſiæ privilegia, nulla eſt ipſo jure, & per conſequens, ſi caſſatione non indiget, ſtatim procedi poteſt ad ſecundam. Augetur hæc conſideratio, nam valet argumentum de matrimonio carnali ad ſpirituale, *c. inter*, *de tranſlat. Epiſc.* & de cauſa matrimonii ad cauſam electionis, *c. cum inter canonicos*, ubi Abbas, *hoc tit.* ſed ſi quis contracto primo matrimonio nulliter ob impedimentum irritans, adhuc lite pendente, eo non caſſato, ſecundum celebret, valide contrahit, non expectata judicis Eccleſiaſtici ſententia, *c.* 2. *de matrim. contract. c. veniens* 13. *c. cum in Apoſtolica*, *de ſponſal.* ergo ſimiliter poſt electionem primam, ſed nullam, quia contra privilegia Eccleſiæ, vel poſt appellationem erat celebrata, adhuc ea non caſſata, ſecunda celebrari valet.

4 De appellatione ab electione. Hac conſideratione non obſtante, vera eſt noſtra deciſio, quæ ut ampliori lucis uſura fruatur, ſciendum eſt, quod licet appellatio facta, ne electio celebretur, ut vaga, nulla ſit, *c.* 1. *de poſtulat. Prælat. c. ex ore*, *verſic. de hoc*, *de his*, *quæ fiunt a Prælatis*; valet tamen ita interpoſita, ut hoc modo, vel illo canonice fiat, ne talis perſona eligatur, & tunc electio, appellatione pendente, ut attentata revocetur, Lancellotus *de attentatis l.* 2. *c.* 2. *limitat.* 26. Salgado *de poteſt. part.* 3. *cap.* 8. ſicut alia omnia poſt appellationem geſta, *cap.* 1. ubi dicam, *de appellat.* Similiter electio revocanda eſt, ſi fiat contra privilegia alicui Eccleſiæ conceſſa circa electionem Prælatorum; frequenter enim Eccleſiæ habent privilegium, ne ex alia, quam ex ipſa Eccleſia Rector eligatur, aut ſimilia, *c. cum dilectus*, *de conſuetud. c. Abbate*, *de v. ſ.* tunc enim ſimilia privilegia in electionibus valde attendenda, & cuſtodienda ſunt.

5 Ratio decidendi. Unde profluit vera decidendi ratio ad noſtrum textum; nam licet electio facta poſt appellationem, & contra privilegia Eccleſiæ, ſit caſſanda, tamen ipſo jure non eſt nulla; unde cum per electionem ipſam ſit contractum matrimonium inter ipſum electum, & Eccleſiam, *c. cum inter*, *hoc tit.* ideo donec annulletur prima electio, non poteſt procedi ad ſecundam, quia ſicut in matrimonio carnali non poteſt dari polygamia, ut unus duabus conjunctus ſit; ita nec in ſpirituali poteſt quis duabus Eccleſiis, ut ſponſus præeſſe. Recte ergo deciditur in noſtro textu, ad electionem ſecundam non eſſe procedendum, donec caſſetur prima facta poſt appellationem interpoſitam, & contra privilegia Eccleſiæ. Sed cum in his electionibus electi excluſi non ſint, tam a prima, quam a ſecunda electione, propter vitium, aut defectum eorum, ſed tantum propter appellationem, aut formam non ſervatam in ſecunda electione, ideo electi fama non minuitur, aut ſugillatur, ſed illibata permanet, & ſic poteſt in alia Eccleſia, vel in ipſa, ut Prælatus præfici, ut ex noſtri textus finalibus verbis conſtat; licet aliqui ex antiquioribus auſi ſint contrarium defendere. Si tamen non de electione, ſed de beneficio inter duos lis diſceptetur, uno defuncto alter ſubrogatur in jure utriuſq; ex regula de collitigantibus, quam exponunt Lotter. *l.* 2. *de re benef. cap.* 20. Barb. *tom.* 6. *in cap.* 1. *ut lit. pend.*

6 Diſſolvitur ratio dubitandi. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta; nam licet attentatum poſt appellationem ſit ipſo jure nullum, ex vulgatis principiis; hoc tamen procedit in appellatione judiciali, non vero extrajudiciali, quia tunc poſt eam factum non eſt invalidum ipſo jure, ſed tantum revocari poteſt per viam attentati: Butrius, Hoſtienſis, & Zabarella *in præſenti*. Diſcriminis ratio in eo conſiſtit, nam per appellationem judicialem ſuſpenditur poteſtas judicis: ſed per appellationem extrajudicialem non ſuſpenditur poteſtas, & ſic poſtea geſta non ſunt ipſo jure nulla. Sunt tamen caſus, in quibus appellatio extrajudicialis etiam inducit attentata ipſo jure nulla, ut quando geſta poſt appellationem extrajudicalem, non ſolum peraguntur poſt appellationem, ſed etiam contra ipſam; tunc enim etiamſi appellatio ſit extrajudicialis, inducit attentata, *c. cum nobis*, *hoc tit.* ubi Abbas *n.* 7. Lancell. 2. *p. de attentatis*, *c.* 12. *limit.* 3. Valenzuella *conſ.* 76. *n.* 25. Quando autem fiat aliquid contra appellationem, exponit Barboſa *voto* 39. *nu.* 69. Vel ſi appelletur ab electionibus Cathedralium, vel Regularium Eccleſiarum, cum exprimitur cauſa, quæ verificata judicatur legitima, *c. quoniam* 10. *c. ſi poſtquam* 13. *de præb. l.* 6. Lancellot. *d. c.* 12. *limit.* 1. Tandem ſi appellationis cauſa probata ſit coram ſuperiore; tunc enim licet ſit extrajudicialis, inducit attentatata ipſo jure. Gloſſa *in c. non ſolum*, *§. illa*, *de appell. l.* 6. docet, & illuſtrat Barb. *d. voto* 39. *n.* 1. ſed cum nullus ex his caſibus in hoc textu præceſſiſſet, ideo appellatio extrajudicialis non inducit attentata, quæ ipſo jure nulla ſint. Nec argumentum primum hujus diffi-

difficultatis obſtat, deductum *ex diſt. cap. privilegia, cum aliis*: nam licet privilegia ſint leges, ſunt tamen privatæ, non publicæ, aut communes: quare cum in facto conſiſtant, facile ignorantur, *c. 1. de conſtit. in 6.* unde facta contra privilegia non ſunt ipſo jure nulla, ſicut facta contra leges publicas, & communes. Nec aliud hujus difficultatis argumentum refragatur, deductum *ex c. cum in Apoſtolica, de ſponſal.* cui ſatisfacit Cujacius in eodem textu, aſſerendo in noſtro textu irritari electionem factam poſt primam non caſſatam, quia vitium continebat, at vero *in d. c. cum in Apoſtolica*, ſecundum matrimonium nullum vitium continere, & ſic ut validum defendi. Sed hæc ſolutio ex eo non placet; nam electio facta poſt primam adhuc non caſſatam, nullum aliud vitium continet, niſi ut una Eccleſia duobus adhæreat; uni ratione primæ electionis, licet invalidæ; alii virtute ſecundæ electionis, quod *in d. c. cum in Apoſtolica*, contingit: immo & ſi verum fatemur, majus vitium adeſt *in d. c. cum in Apoſtolica*, & debet conſiderari in eo, qui contraxit ſecundum matrimonium lite nondum ſopita ſuper primo, & adhuc per ſententiam judicis non irrito, quam in noſtro textu; ſiquidem qui contraxit matrimonium primum, & lite pendente ſecundum celebravit, expoſuit ſe periculo polygamiæ, ſi primum validum eſſe declaretur. Quare ea ſententia omiſſa, dicendum puto, in eo textu matrimonium ſecundum, licet non juſtum, tamen validum fuiſſe, cum poſtea apparuiſſet primum invalide contractum fuiſſe, & ſic ſecundum ſine vitio, aut impedimento dirimente fuiſſe celebratum; non tamen irritatur, ut electio in præſenti caſu quia non ita facilis eſt irritatio matrimonii, ſicut electionis; in matrimonio enim valide, etſi injuſte celebrato, datur ſacramentum, quod Eccleſia irritare non valet: quare in eo textu non irritatur ſecundum matrimonium, ſicut electio in præſenti textu.

Sed adhuc præſenti aſſertioni obſtat textus *in c. cum terra 14. hoc tit.* in illis verbis: *Quod ſi in perſona fuerit, vel electioni modo peccatum, tamdiu in electione diligentiam inquiſitionis apponant, donec vacanti Eccleſiæ de perſona idonea valeat provideri*. Ex quibus 7 Exponitur c. cum terra 14. hoc tit.
verbis aperte deducitur, poſt primam electionem nondum caſſatam, ad ſecundam procedi poſſe: ergo non recte Alexander in præſenti decidit, nondum caſſata prima electione, ſecundam celebrari non poſſe. Cui difficultati, ut ſatisfaciant Gloſſa ibi, *verbo Diligentia*, & Claſſici repetentes *ibi*, varias ſolutiones adducunt. Primo aſſerunt in eo textu electionem jam caſſatam fuiſſe tempore ſecundæ, vel ſecundam electionem celebrari non permitti, ſed tantum inquiſitionem fieri de perſonis eligendis, ut prima electione caſſata, poſſit recte ad ſecundam procedi. Secundo, & verius; affirmant in eo textu electionem primam ipſo jure nullam fuiſſe, & ſic ſtatim ad ſecundam procedi poſſe: ita Butr. & Abbas in ejus textus expoſitione. Etiam ex ſupra traditis exponi debent text. *in c. ſicut 28. hoc titul.* juncta Gloſſa *ibi*, *verbo Juris*, *c. auditis 29.* cum Gloſſa *ibi*, *verbo Caſſatam*, *eod. tit. c. ex parte, de arb.*

C A P U T XI.

a Idem.

SUffraganeis alicujus Metropolitani ad mandatum ipſius poſt conſummationem electionis ſuæ, etiamſi pallium non receperit, licitum eſt electum, qui ad ejus juriſdictionem pertinet, conſecrare.

N O T Æ.

1 a IDem.) Simile etiam vitium continet hæc deciſio, ac antecedens; licet enim reperiatur *ſub hoc tit. c. 1. in collect.* non tamen conſtat, cur ſit miſſa, & qua occaſione ab Alexandro III. ita decreta, adeo ut quidam aſſeruerint, hanc epiſtolam non eſſe decretalem, ſed quamdam adjectionem Joannis Gallenſis, & ſic vim legis Pontificiæ non obtinere: ſed cum compilata ſit in hac ſexta collectione, locus non eſt hæſitationi, utrum authentica ſit, vel apocrypha, ut dixi in apparatu, & jam animadvertit Panormitanus hic, *n. 1.* quem ſequuntur Sanch. *l. 7. conſ. c. 2. dub. 16. n. 16.* Diana *p. 12. tr. 1. reſol. 68.*

COMMENTARIUM.

2 Concluſio traditur. EX hoc textu talis depromitur aſſertio: *Metropolitanus non conſecratus, licet nondum receperit pallium, poteſt conſecrationem ſui ſuffraganei delegare Epiſcopo.* Non eſt ſimilis deciſio in jure, ex qua ab ſpecie, ut vulgo dicitur, probari poſſit: per argumentum autem probatur *ex c. noſti, c. tranſmiſſam, hoc tit. c. 2. de tranſlat. Epiſc.* ubi docetur, poſſe Archiepiſcopum poſt confirmationem exercere, quæ ſunt juriſdictionis, etſi non receperit pallium. Illuſtrant ultra congeſtos a Barb. in præſenti Azor *2. tom. inſtit. l. 3. c. 34.* Sanch. *t. 2. conſil. l. 7. c. 1. dub. 16.* Boerius *t. 2. l. 3. c. 29. q. 7.* Pater Andreas Gerund. quem laudat Diana *p. 12. tr. 1. reſ. 68.* Turriſcremata *in c. Epiſcopo 6. diſt. 100.* Hallier. *de ſacris elect. 2. p. c. 4. art. 1. §. 2. fol. 701.* Solorzanus *t. 2. l. 3. c. 7.*

3 Impugnatur tradita aſſertio. Hujus deciſionis dubitandi ratio unica, ſed non levis, ex eo naſcitur; nam ille videtur facere, cujus nomine fit, *c. mulieres, de ſent. excom. c. qui per alium*, ubi plures. Pechius *de reg. jur. in 6.* ſed Metropolitanus etiam confirmatus, dum pallium non recepit, non poteſt conſecrare ſuffraganeum, *c. quod ſicut 28. §. ſuper eo, hoc tit.* Nicolaus *ad conſulta Bulgarorum, c. 73.* ubi de Epiſcopo eligendo eos admonens inquit: „ Si Chriſti „ plebs ipſo creſcente creſcit, Archiepiſcopus privilegia per „ nos accipiat; & ita demum Epiſcopos ſibi conſtituat, qui „ ei decedenti ſucceſſorem eligant. *Et paulo poſt*: Archiepiſ„ copum ab Epiſcopis eligendum ſcribit, ſane interim in thro„ no ſedentem, & præter corpus Chriſti non conſecrantem, „ priuſquam pallium a Sede Romana accipiat, ſicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepi„ ſcopi agere comprobantur. *Gregor. VII. l. 9. ep. 1. ibi*: Te „ ipſum non ignorare putamus, quam diſtricte ſanctorum Pa„ trum cenſura in eos vindicandum ſtatuerit, qui poſt conſe„ crationem ſuam poſt tres continuos menſes pallium, quod „ ſui officii, obtinere renuerint. Deinde Apoſtolica tibi præ„ cipimus auctoritate, ut quia SS. Patrum ſtatuta parvipen„ diſti, nullum deinceps Epiſcopum, vel Sacerdotem ordina„ re, ſeu Eccleſias præſumas conſecrare, donec honoris tui „ ſupplementum, pallii videlicet uſum, ab hac Sede impe„ traveris. *Joannes VIII. ep. 93. ubi Arelat. Archiepiſcopo reſcribens, ita ait*: Proh dolor, cum in Galliæ partibus eſſemus, „ inter cetera unum valde prohibendum invenimus: Metro„ politæ antequam a Sede Apoſtolica pallium receperint, „ conſecrationem facere præſumunt, quod anteceſſores noſtri, „ & nos canonico decreto, ne fieret, interdiximus; per pal„ lium enim Pontificalis officii plenitudo cum Archiepiſcopa„ lis nominis appellatione confertur. „ Igitur ſi ipſe per ſe non poteſt conſecrare Epiſcopum, quomodo poterit conſecrandi poteſtatem alii demandare.

4 Traditur decidendi ratio. Adhuc tamen defendendum eſt hoc Alexandri decretum, ad cujus expoſitionem ſupponendum eſt, ad Archiepiſcopum ſpectare conſecrare Epiſcopos ſuffraganeos, vel eorum conſecrationem Epiſcopo demandare, *cap. ſi Epiſcopus 7. tempor. ordin.* ubi plura adducemus, quæ ex eo commentario petenda ſunt, & huic annectenda. Etiam ſciendum eſt, Archiepiſcopos poſt confirmationem, etiam pallio non recepto, poſſe exercere, quæ ſunt juriſdictionis, exceptis gravioribus cauſis, ut congregare Concilium, & ſimilia; quia adhuc non habent plenitudinem officii, nec nomen Archiepiſcopi, *c. niſi de Auctor. & uſu pallii*, ubi plene probo. Ex ejus commentario præſens ſuppleri debet, ne bis eadem repetam: quibus ſuppoſitis facile eruitur hujus deciſionis ratio; nam cum Archiepiſcopus ante pallii receptionem poſſit exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis, & ejus ratione Archiepiſcopo competat jus conſecrandi Epiſcopos ſuffraganeos, vel delegandi eamdem conſecrationem alicui ex ſuffraganeis, ideo in præſenti textu deciditur, Metropolitanum poſſe ſuffraganei conſecrationem committere, & delegare ante pallii receptionem; cum poſt confirmationem, quæ ſunt juriſdictionis, exercere valeat, *d. c. d. c. noſti, tranſmiſſam.*

Nec obſtat, Archiepiſcopum per ſe ante palli receptionem 5
non poſſe Epiſcopum conſecrare, & per conſequens, nec aliis Diſſolvitur
committere conſecrationem; nam Archiepiſcopus, dum com- difficultas.
mittit ſuffraganeo conſecrationem ſuffraganei, non committit poteſtatem ordinis, quæ eſt indelegabilis, *c. aqua, de conſecratione Eccleſiæ*; cum proveniat ex charactere; ſed tantum præſtat juriſdictionem, quam habet in conſecrandis Epiſcopis, ut Epiſcopus poſſit Epiſcopum ordinare, qui alias ex defectu juriſdictionis illum conſecrare non valebat: conjunguntur ergo poteſtas ordinis, quæ reſidet in Epiſcopo delegato, & juriſdictio, quæ mandatur, & ſic ex his duobus, juriſdictione videlicet unius, & alterius ordine, rite celebratur conſecratio ab Epiſcopo ſuffraganeo: ſicut defuncto Archiepiſcopo ſuffraganei rite conſecrant conſuffraganeum ſuum, *c. quia, 64. diſt.* Nec hoc novum, aut inſolens eſt in utroque jure; noſtro enim Pontificio attento, licet Capitulum Sede vacante non poſſit ordines conferre, poteſt tamen committere ſubditos ſuos alicui Epiſcopo, ut ab eo ordinentur, *c. cum nullus. de tempor. ordin. lib. 6.* ſervata forma Concilii Tridentini *ſeſſ. 8. de ref. c. 10.* & Archiepiſcopus non conſecratus, non poteſt altaria, & Eccleſias conſecrare, *d. c. 28. §. ſuper, hoc tit.* & tamen poteſt earum conſecrationem aliis demandare. Parochus ſimiliter habens beneficium parochiale, ſed non ordinatus, quia intra annum eſt, licet ex opinione plurium non poſſit matrimonio aſſiſtere, tamen poteſt alii ſacerdoti facultatem aſſiſtendi delegare. Baſil. *de matr. lib. 5. c. 17.* Barb. *de off. parochi, c. 22. n. 60.* Jure etiam Cæſareo Proconſul, qui ante ingreſſum civitatis juriſdictionem non habebat, *l. 1. ff. de officio Præſidis*; tamen poterat juriſdictionem demandare, *l. aliquando, ff. de Proconſulis*, ita ſimiliter Archiepiſcopus ante pallii receptionem, licet conſecrare Epiſcopum non poſſit, poteſt tamen Epiſcopo demandare talem conſecrationem.

Sed primo in hac parte adeſt difficilis text *in c. quoniam 100.* 6
diſt. in illis verbis: *Metropolitanorum fidem ſuam ſecundum pri-* Exponitur
ſcam conſuetudinem ſanctæ Sedi Apoſtolicæ exponere detrectantes, uſum c. Quoniam
pallii neque expetunt, neq; percipiunt, ac per hoc Epiſcoporum con- 100. diſt.
ſecratio viduatis Eccleſiis non ſine periculo protelatur. Ex quibus verbis depromitur, Epiſcoporum conſecrationem differri, donec Archiepiſcopus pallii uſum conſequatur: igitur, quia dum illud non obtinet, neq; per ſe, neque per alium, conſecrare poteſt Epiſcopos. Difficultatem agnoverunt Gloſſa *in præſenti, & in d. c. quoniam, verbo Epiſcoporum*: & omnes antiquiores *hic*, qui

qui varias adducunt ſolutiones: quibus omiſſis, placet nova interpretatio Hallierii *de ſacris elect. ubi ſup. fol. 700.* dum Pelagii deciſionem non univerſalem, nec perpetuam eſſe ſupponit, ſed pro opportunitate temporis, & Provinciæ dimanaſſe: cum enim temporibus Pelagii, Archiepiſcopi, Epiſcopique Ligurum, Venetorum, atque Iſtrorum, pro defenſione trium capitulorum Concilii Calc. contra quintam Synodum ſchiſma conflarent, eos valde increpavit, imo adverſus eos dimicavit Pelagius, ut conſtat ex ejus epiſtolis ad Narſetam: quare ut facilius, tam Archiepiſcopi, quam Epiſcopi ad fidem Romanæ Eccleſiæ redirent, ſtatuit ne Archiepiſcopi, non petito pallio, in cujus aſſecutione fidem, atque obedientiam promittunt, *c. ſignificaſti 4. hoc tit.* Epiſcopos poſſent conſecrare, aut committere conſecrandos, ut ſic Epiſcoporum conſecratione protelata, obedientiam Pelagio præſtarent: ita Hallierius *ubi proxima*.

Secundo adverſatur text. *in cap. 1. de tranſlat. Epiſc. in fin.* ex 7
cujus ultimis verbis deducitur, Archiepiſcopum pallio non Explicatur
accepto Epiſcopum Valienſem confirmaſſe: igitur quia Ar- cap. 1. de
chiepiſcopus per ſe, pallio non recepto, poteſt Epiſcopos tranſl. Ep.
ordinare. Cui difficultati reſpondendum eſt, textum illum procedere in Archiepiſcopo confirmato Epiſcopum confirmante; cum enim per confirmationem juriſdictionem conſequatur, ita ut omnia, quæ ſunt juriſdictionis, poſſit exercere confirmatus, ideo poteſt Epiſcopos confirmare, quia in confirmatione non exercet, quæ ſunt ordinis, ſed juriſdictionem, cujus exercitium habet poſt ſuam confirmationem, *c. noſti, c. tranſmiſſam, hoc tit.*

C A P U T XII.

a Clemens III.

SUper eo vero, quod quærere voluiſti, ſi alicujus electione caſſatâ, idem ad alterius Eccleſiæ regimen electus fuerat, an ejus electio debeat confirmari: hoc tuam volumus diſcretionem tenere, quod ſi prior electio non vitio perſonæ, ſed modo electionis caſſatur, promotionem ejus in eadem etiam Eccleſia (niſi forte ſimoniacæ pravitatis aliquid interceſſiſſe conſtitit) non debeas impedire.

N O T Æ.

a CLemens III.) Ita legitur in hac collectione, alibi autem
1 legitur, *Alexander III.* cui autem miſſa ſit hæc decretalis, neque ex hac, neque ex ſecunda collectione, ubi *ſub hoc tit. c. 3.* reperitur hæc deciſio, apparet.

COMMENTARIUM.

2 Concluſio traditur. EX hoc textu talis deducitur aſſertio: *Ille cujus electio fuit caſſata, non vitio perſonæ, ſed forma electionis, niſi ob vitium ſimoniæ, iterum eligi poteſt.* Probant text. *in c. conſideravimus, hoc tit. c. gratum 2. de poſtul. Prælat. c. ad petitionem 22. de accuſat.* Illuſtrant Jo. Calderinus *in repetitione ad hunc text.* Pet. Greg. *de elect. c. 9. n. 23.* Caſtellin. *eod. tr. c. 5. n. 35.* Julius Lavorus *de elect. c. 5. n. 35.* Tambur. *de jure Abbat. t. 1. diſp. 5. quæſito 21. n. 4.* Laurentius Peyrinis *de ſubdit. relig. c. 31. t. 1. §. 8.* Laym. *de Prælat. elect. c. 6. q. 61.* Alii plures relati a Barboſ. *to. 1. voto 35. n. 22. & voto 36. n. 22. & voto 104. n. 23.*

3 Impugnatur tradita aſſertio. Sed hæc aſſertio valde impugnatur ſequenti conſideratione; nam materia, & forma ad perfectionem cujuslibet rei neceſſariæ ſunt, *c. de ætate 1. q. 1. c. tua nos, de ſponſ.* & ſic cujuslibet defectus tollit perfectionem rei, vel actus, *c. in quamdam, de celebr. Miſſarum*: ſed in electione vitium perſonæ electæ eſt vitium materiæ: ergo ſicut vitium formæ ſolum reddit ipſam electionem caſſandam, non vero inhabilem reddit electum ad aliam; ita ſimiliter & vitium materiæ, hoc eſt perſonæ, tantum electionem debet vitiare, non autem electum reddere inhabilem ad aliam electionem. Secundo impugnatur hæc aſſertio; nam ut quis propter electionem caſſatam reddatur inhabilis in poſterum ad aliam quamlibet, repugnat juri canonico, & rationi: juri Pontificio, quatenus in eo docemur, ob crimen in modum exceptionis oppoſitum, criminoſum non puniri pœna ordinaria, *c. 1. de except. c. 2. de ordine cognitionum*: nec exinde criminoſus redditur infamis, *d. c. 1. l. Lucius, ff. de his, qui notantur infamia*: ſed cum agitur de caſſatione electionis, tantum vitia opponuntur electo per modum exceptionis: ergo non debet inhabilis inde reddi ad alias electiones, cum hæc fuiſſet pena ordinaria ob delictum in modum exceptionis oppoſitum. Rationi etiam, nam qui in una electione vitio perſonæ rejectus eſt, poteſt emendari, & per pœnitentiam reddi habilis ad ſecundam electionem; *multos enim vidi, & audivi* (inquit Cicero *in oratione pro Cælio*) *qui cum totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, emerſiſſe aliquando, & ſe ad frugem bonam recepiſſe, graveſque homines, & illuſtres fuiſſe.* Unde Pericles, qui ex ſeducta prodiit domo, Athenienſium fuit Imperator electus; cum emendatus eſſet: ergo etſi aliqua electio vitio perſonæ caſſata ſit, quia poteſt expectari ejus pœnitentia, non quoad omnes alias electiones debet inhabilis judicari. Accedit, nam ſæpe quis eſt dignus minori dignitate, non tamen majori, *c. ſcriptum 12. hoc tit. c. nos, 12. diſt.* ergo licet indignus ſit quis majori dignitate, non debet repelli ab omnibus electionibus.

4 Eligi qui non poſſint. Qua dubitandi ratione non obſtante defendenda eſt præſens deciſio, ad cujus expoſitionem ſciendum eſt, non omnes eligi poſſe ad dignitates Eccleſiaſticas; aliqui enim vitio, ſeu delicto eligi prohibentur, ut ſacrilegi, *c. venerabilem, hoc tit.* qui ab aliis etiam actibus excluduntur, *c. nulli 3. q. 4.* falſarii litterarum Apoſtolicarum, *c. ad falſariorum, de crimine falſi*, uſurarii, *c. de Petro, 47. diſt. c. inter dilectos, de exceſſib. Prælat.* infames enim ſunt, *l. improbum, C. ex quibus cauſſis infamia*; ſchiſmatici, *c. nos, 12. diſt. cap. quia tua 5. de elect.* excommunicatione majori ligati, *c. poſtulaſti, de clerico excom.* interdicti, *c. cum inter, hoc tit. c. 1. de poſtulat. Prælat.* ſuſpenſi, *c. cum dilectus 8. de conſuet.* perjuri, *c. querelam 10. de jurejurando*; publici aleatores, *d. c. inter, de exceſſib.* & omnes alii, qui irregularitatem contraxerunt, vel ob vitium animi, corporis, originis, ob vinculum reale, perſonale, aut civile, quos longum foret recenſere. Videndi ſunt Majolus, Suarez, & Gibalinus *in comment. de irregul.* Pet. Greg. *de elect. c. 9. per totum*, Corvinus *lib. 1. de jure Pontificio, tit. 15.* Barboſa *alleg. 42. 43. & 77.*

Secundo ſciendum eſt, inter delicta, aut vitia a ſupradi- 5
ctis recenſita, quibus aliquem eligi prohibetur, ſemper ut De vitio
deteſtabilius judicatum fuiſſe ſimoniæ vitium; ſimoniæ enim ſimoniæ.
labes impedit electionem ad omnem dignitatem Eccleſiaſticam: ita notorii ſimoniaci, ſi de facto electi fuerint, a dignitate abjici, & deponi debent, *cap. inſinuatum 13. de ſimonia*; nec ſolum ſimoniaci, & per ſimoniam dignitatem Eccleſiaſticam adepti, dicuntur illi, qui pecuniam electoribus dederunt, aut illicitas pactiones inierunt, *l. ſi quemquam, C. de Epiſc. & Clericis*; verum & ſi propinqui, aut amici electi, ſive eligendi, pecuniam dederint, aut prædictas pactiones fecerint, *c. Matthæus, de ſimonia*; iſti enim licet propria perſona immediate vitium ſimoniæ non contraxerint, tamen ſimoniace eliguntur, & talis electio nulla eſt, atque electus redditur inhabilis ad beneficium, ac ſi vitium ipſe contraxiſſet, ut dicemus *ad tit. de ſimonia.*

Tertio prænotandum eſt, electionem aliquando nullam 6
eſſe, non ex defectu habilitatis electi, verum ex defectu De forma
formæ, videlicet quia non fuit ſervata forma præſcripta *in* electionis.
c. quia propter, hoc tit. vel ex defectu eligentium, cum propter eorum vitium caſſatur electio, ut quia elegerunt conditionaliter, vel alternative, *c. 1. de elect. in 6.* vel non vocandis, *c. quod ſicut, c. bonæ, el 2. hoc tit.* vel admiſſis ad electionem non admittendis, ut ſi admittantur excommunicati majori excommunicatione, *cap. illa, hoc tit.* vel laici, qui admitti non debent, *c. ſi quis, c. Meſſana, hoc tit.* vel ſi eligant contra privilegia Eccleſiæ, *c. conſideravimus, hoc tit.* vel tandem neglexerint ea, quæ circa electionis formam a ſacris canonibus ſunt præſcripta, de quibus paſſim *in hoc tit.* & præcipue *in d. c. quia propter*, agemus: in his enim caſibus electio non caſſatur ob vitium perſonæ, ſed ob formæ defectum. Ex quibus apparet vera decidendi ratio ad noſtrum textum; nam cum electio caſſatur vitio formæ, imputari non debet electo tale vitium, cum nemo alterius odio prægravetur, *l. iniquiſſima, ff. de juris, & facti*; nec res, quæ culpa caret, in damnum vocari debet, *c. 2. de conſtit.* ideo cum electus ob vitium formæ non ſervatæ nullam infamiæ notam contraxerit, ſiquidem ob vitium ſuum non fuit caſſata electio, inde ad alias electiones in ipſa Eccleſia, vel in alia habilis remanet: at vero cum vitio perſonæ electio caſſatur, electus remanet inhabilis ad alias electiones; nam ex tali vitio ſugillatur electi perſona, & notatur quodammodo *cap. cito 1. q. 1.* ſed cujus opinio eſt gravata, eligi interim non poteſt, *c. omnipotens, de accuſat.* & infamibus portæ dignitatum non patent, *c. infamibus, de regul. juris, l. 6.* igitur illi manent inhabiles ad omnes dignitates Eccleſiaſticas. Accedit, nam ſemel malus, ſemper præſumitur malus, *regula Semel, de regul. juris lib. 6. l. ſi cui, §. iiſdem ff. de accuſat.* unde qui propter gravatam opinionem fuit a teſtimonio aliquando repulſus, ſemper repellitur, *c. teſtimonium 54. de teſtib.* unde fertur, M. Fiduccium Senatorem ſemel proſcriptum fuiſſe a Silla, & poſt 36. annos proſcriptum iterum ab Antonio; nec ulla alia de cauſſa, quam quod antea fuiſſet proſcriptus, ut refert Plinius *lib. 6. hiſtoriæ, c. 44.* Recte ergo Alexander III. in præſenti decrevit, eum, cujus electio vitio perſonæ caſſata fuit, reddi inhabilem ad alias electiones, tam in ea Eccleſia, quam in alia.

Nec prima dubitandi ratio ſupra adducta obſtat; nam 7
licet æque defectus formæ, ac materiæ vitiet electionem, Diſſolvitur difficultas.
hoc procedit quoad vim, & effectum ipſius electionis, non vero ut inhabilitas inde proveniat reſpectu electi; ſiquidem, ut ſupra dixi, cum vitio formæ electio caſſatur, factum electorum non debet nocere electo, nec ille ſine dolo ſuo damnum ſentire, ut Abbas Butrius, & omnes antiquiores hic defendunt. Nec ſecunda difficultas obſtat, nam cum electio caſſatur vitio perſonæ, non caſſatur electio quia opponitur vitium in modum exceptionis; imo potius cum agitur de caſſanda aliqua electione, ita proceditur, ut formetur proceſſus, vocato prius, & audito ipſo electo, ut docent Rodriquez *tom. 2. quæſt. 52. art. 12.* Caſtellin. *ubi ſupra numer. 27.* Valenzuela *tom. 1. conſ. 44.* Portel. & alii lau-

laudati a Carboſa *dicto voto* 35. *n.* 22. *& voto* 38. *n.* 17. unde cum citatus ſit electus, recte, ſi probetur vitium, deciditur, manere ineligibilem quoad alias dignitates Eccleſiaſticas. Nec obſtat argumentum difficultatis a ratione deductum; nam cum quis ſemel ob vitium inhabilis declaratus eſt quoad unam Eccleſiam, inhabilis cenſentur quoad omnes, quia ſemel malus ſemper præſumitur talis, dicta regula *Semel*, ubi plura Petrus Pecchius. Diſtinguendum tamen eſt inter vitium animi, & corporis: nam vitium animi, de quo agimus, durare poteſt; vitium vero corporis tolli, & aboleri in totum. Unde rejectus ab electione ob vitium corporis temporale, non ſemper manebit inhabilis, cum deficiat cauſa ipſius inhabilitatis. Nec quod dicebamus de inhabilitate quoad minores dignitates, obſtat; nam non attenditur quoad caſſationem primæ electionis quantitas dignitatis, ſed tantum vitium perſonæ inſpicitur: unde ſive ad majores, ſive ad minores dignitates manet inhabilis, ut docet Cardinalis *hic*, & alii ſupra citati.

8 Exponitur c. officii 38. hoc tit.

Sed adhuc ſuperiori aſſertioni obſtat text. *in c. officii* 38. *hoc tit.* ubi cum quædam electio fuiſſet caſſata, non vitio formæ, ſed perſonæ, deciditur ipſum invalide electum poſſe ex poſtfacto admitti ad ipſam dignitatem: igitur rejectus ab una electione, nec quoad ipſam Eccleſiam, imo nec quoad ipſam dignitatem manet inhabilis. Pro cujus textus expoſitione diſcrimen conſtituendum eſt inter vitium electi perpetuum, & temporale; cum enim adeſt in ipſo electo vitium perpetuum, nec in ipſa Eccleſia, nec in alia eligi poteſt; cum autem vitium non eſt perpetuum, ſed temporale, ex quo nulla infamia ſecuta fuit, tunc ſemel rejectus ab una electionne, poteſt deinceps ſublato vitio eligi, *c. cum inter R. hoc tit.* docet Bohic. *in præſenti, n.* 4. unde cum defectus, ſeu vitium electi *in d. c. officii* 38. eſſet temporale, ex eo proveniens, quod non erat profeſſus in ipſo monaſterio, quod vitium lapſu temporis novitiatus, & profeſſione ſecuta tollitur; ideo aſſerit Pontifex, poſt profeſſionem emiſſam poſſe eligi in Abbatem ipſius monaſterii: ſed quia aliqua ſuſpicio anticipatæ electionis poterat in eo conſiderari, injungitur illi purgatio, ut ab hac ſuſpicione, ſi qua adfuerat, liberaretur.

9 Exponitur c. conſideravimus, hoc tit.

Secundo obſtat textus *in cap. conſideravimus* 10. *hoc tit.* ubi cum electio fuiſſet caſſata quorumdam, non vitio perſonæ, ſed formæ, videlicet quia contra privilegia Eccleſiæ, & poſt appellationem interpoſitam celebrata erat, deciditur, quod licet ipſis electis integra, & incolumis conſervetur fama, & in aliis Eccleſiis eligi poſſint, tamen quoad ipſam Eccleſiam, & illam ordinationem inhabiles remanere. Ex quo textu expreſſe deducitur, quod licet non vitio perſonæ, ſed formæ electio caſſetur, inhabilis remanet ex tali electione rejectus.

Concluſio traditur, & probatur.

Cui difficultati reſpondendum eſt, in eo textu electum & rejectum ab electione non remanere inhabilem quoad electiones, tam in ipſa, quam in alia Eccleſia celebrandas; ſed tantum quoad ipſam, quæ caſſata fuit: quia licet non propter vitium perſonæ caſſata eſſet, tamen magnum ſcandalum ſequebatur, ſi electus poſt appellationem interpoſitam, etiam ex nova electione, in eadem tamen ordinatione admitteretur: quare, ob hanc rationem ſpecialem, ſcandali videlicet, quod ſequi poterat, electi inhabiles redduntur tantum quoad eam electionem.

C A P U T XIII.

a Cæleſtinus III.

CUm monaſterium de Pellicia in tuo ſitum Epiſcopatu ad eam diſſolutionem devenerit, ſicut tuarum litterarum inſinuatio pateſecit, quod fratres ejuſdem domus obſervantiam religionis, & ordinem abjecerint; & bonis ejus dilapidatis, atque conſumptis, ad eligendum ſibi Abbatem de ipſius Eccleſiæ gremio non potuerint hactenus convenire: ad tuæ tamen admonitionis & adhortationis inſtantiam in unum convenientes, in quemdam qui cum fratribus ſuis in eremo eſt laudabiliter converſatus, boni teſtimonii virum unanimiter conſenſerunt, & eum in Abbatem totis deſideriis poſtulantes, ejus ſubjici diſciplinis, & habitui poſtulabant. Tu vero poſtulationi eorum, de prudentum, & diſcretorum virorum conſilio præbuiſti aſſenſum, & humiliter ſupplicaſti eamdem ordinationem a Sede Apoſtolica *b* confirmari. Nos autem petitioni tuæ favorem noſtrum liberaliter impertientes, ordinationem ipſam, ſicut canonice facta eſt, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.

N O T Æ.

1 a CÆleſtinus.) Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 4. cui tamen miſſa ſit hæc decretalis, nec ex hac, nec ex illa collectione conſtat: ego autem ita reſtituendam hujus textus inſcriptionem exiſtimo, *Cæleſtinus III. Amelino Cenomanenſi Epiſcopo*: quod ut notum fiat, prius diſquirendum eſt, de quibus monachis agatur in præſenti? Et Zabarella, Hoſtienſis, & Abbas accipiunt hanc deciſionem de Camaldulenſibus, qui ſimul vitam agunt eremiticam, & cœnobiticam, juxta regulam S. Romualdi. Auguſtinus Florentinus *in hiſtor. Camal.* Arnoldus Vuion. *lib.* 1. *ligni vitæ, c.* 19. 20. *&* 21. plures relati a Barboſa *l.* 1. *juris Eccleſ. c.* 41. *n.* 46. Yepes *in chron. D. Benedicti, centuria* 6. *anno Chriſti* 1009. Petrus Munoz *de eremo Camald.* Sed in hoc textu agitur de monachis, & ejuſdem Ordinis eremitis: igitur Cæleſtinus de Camaldulenſibus accipiendus eſt. Sed, ni fallor, textus iſte accipiendus eſt de monachis D. Benedicti, quod facile ſuadebitur ex ſequentibus. Primo, nam monaſterium B. Mariæ de Pellicia, de quo in præſenti, eſt ordinis D. Benedicti, in Comitatu Cenomanenſi, ut tradunt Chopinus *de ſacra polit. l.* 1. *tit.* 2. *n. ult.* Tamburinus *t.* 1. *de jure Abbat. in ſerie Abbatiarum, verbo Cenomanienſis*. Secundo quia, ut refert ex hiſtoricis Religionis Camaldulenſis Yepes *ubi ſupra, fol.* 314. eorum Prælati, Priores, non Abbates dicuntur: ſed in præſenti textu agitur de Abbate eligendo: ergo non de Camaldulenſibus, ſed de monachis D. Benedicti eſt accipiendus. Cum ergo monaſterium de Pellicia ſit in Comitatu Cenomanenſi, & tempore Cæleſtini III. floruiſſet in ea Eccleſia Amelinus, ut refert Chenu *in ſerie Præſulum ipſius Eccleſiæ*, Fratres Sarmat. *tom.* 2. *Galliæ Chriſt.* & Epiſcopo proprio ipſius monaſterii reſcribat Cæleſtinus ibi, *in tuo ſitum Epiſcopatu*; recte inſcriptionem reſtituimus ita, *Cæleſtinus Amelino Epiſcopo Cenoman.* Quæ ſententia non parum firmatur *ex c.* 1. *de confeſſis*, ubi extat alia pars hujus epiſtolæ.

2 b *Confirmari.*) Non quia prædictum monaſterium D. Mariæ de Pellicia eſſet Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectum, ut aliqui in præſenti volunt, cum eo caſu fruſtra Epiſcopus electioni, ſeu confirmationi Prælati ſe immiſceret; ſed ipſe petiit confirmationem, & conſuluit Romanum Pontificem, quia ambigebat, utrum monachus in eremo degens poſſit præfici, ut Prælatus monaſterio de Pellicia.

COMMENTARIUM.

3 EX hoc textu, & *ex c. cum cauſam* 27. *c. ad noſtrum* 37. *c. officii* 38. *c. cum in magiſtrum, hoc tit.* qui cum eamdem contineant deciſionem, eodem commentario ſunt exponendi, talis deducitur concluſio: *Non profeſſus religionem, nequit eligi in Prælatum ipſius, non obſtante contraria conſuetudine; poſtulari autem valet.* Probant eam textu *in c. ſicut*, 48. *diſt. c. nemo* 16. *q.* 1. *c. congregatio* 16. *qu. ult. c. in nova* 16. *q.* 7. *c. Presbyteros, c. Abbas, c. Abbatem* 18. *q.* 2. *c. fin. de ſtatu monach. c. nullus, hoc tit. lib.* 6. *Clementina* 1. *§. ceterum, verſiculo ſane, Clement. ne in agro, §. penult. de ſtatu monach.* Concilium Meldenſe ſub Carolo, *can.* 9. Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. Troslejan. *can.* 3. *Et ut Abbates ſint religioſæ perſonæ, & quæ religioſam agnoverint diſciplinam.* Trident. *ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 21. Colonienſe non 1536. *can.* 7. *Sacris Canonibus ſaluberrime conſtitutum eſt, ut omnes Cathedrales Eccleſiæ, collegia, & conventus, ad dignitates vacantes ex ſua congregatione idoneos eligant Prælatos.* Divus Gregorius *l.* 7. *regeſt. epiſt.* 9. & *lib.* 8. *epiſt.* 23. Carnotenſis *epiſt.* 47. *&* 120. Arnulphus Lexovienſis *in ſermone habito in Synodo*, ibi: *Regularis conventus accipiat Patrem regulari inſtitutione formatum, ne ſtatuæ aureæ caput æneum dicatur adfixum.* Alia juris teſtimonia cumularunt Creſpetius *in ſumma, verbo Abbas* 2. Anton. Auguſt. *in epitom. lib.* 9. *tit.* 43. Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa in præſenti Lavorus *de elect. tit.* 4. *cap.* 16. *num.* 27. Suarez *de relig. tom.* 4. *lib.* 2. *cap.* 3. *tract.* 8. Barboſa *lib.* 1. *juris Eccleſ. cap.* 17. *n.* 32. Acunna *in cap.* 2. 47. *diſt.* Covarr. *in cap.* 2. *de teſtament.* Idumay *in notis ad Innocentium, lib.* 4. *epiſt.* 29. Cæſar *de Eccleſiaſt. diſp.* 13. *de Abbatibus*, 1. *tomo*, *diſp.* 5 *quæſito* 10. Balſamon *in c.* 4. *Synodi Conſtantinopol.* Bruno Chaſſaing. *de privileg. regul. tr.* 3. *cap.* 2. *propoſit.* 1. Fileſacus *de auctorit. Epiſcopi, fol.* 86. Diana *p.* 9. *tr.* 9. *reſ.* 4. Garcia *t.* 2. *polit. tr.* 9. *diffic.* 4. *dub.* 5. Chopinus *lib.* 1. *monaſt. tit.* 1. *n.* 2. Benedictus Capra *in Clem.* 1. *de elect.*

4 De electione prælati regularis.

Sed hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ſequenti conſideratione. Si non profeſſus in Abbatem, ſeu Prælatum regularem eligi non poſſet, maxime ideo, ne homo diſparis conditionis præficiatur monaſteriis, ut *in d. c. cum cauſam*, & ſimilibus docetur: ſed hæc ratio eſt inſufficiens: ergo & cetera. Probatur minor; nam ſi hæc ratio eſſet ſufficiens, ſequeretur ut profeſſus vitam monaſticam, tamquam homo diſparis conditionis, non poſſet eligi in Epiſcopum, ſeu Prælatum Eccleſiæ ſæcularis: ſed poteſt eligi in Epiſcopum monachus, *c. unico*, 18. *quæſt.* 1. *cap. per principalem* 28. *quæſt.* 1. *cap. ad audientiam* 3. *de Eccleſ. ædificand.* Acunna *in cap. ſi quis*, 58. *diſt.* Azor 1. *tom. inſtit. libr.* 12. *cap.* 7. Germonius *libr.* 3. *ſacrorum, c.* 4. Covarr. *in cap.* 1. *de teſtam. n.* 26. Souſa *in Epiſcopo religioſo, n.* 4. Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, lib.* 1. *tit.* 1. *c.* 4. igitur & non profeſſus vitam monaſticam poterit in Abbatem, ſeu Prælatum eligi. Augetur primo, nam ſi non profeſſus eligi nequiret in Prælatum regularem, maxime propter juris Eccleſiaſtici prohibitionem, de qua in hoc textu, & alii ſupra citatis: ſed conſuetudo derogat juri poſitivo Eccleſiaſtico, *c. finali, de conſuet.* ergo conſuetudine introduci poteſt, ut non profeſſus eligatur in Abbatem. Augetur ſecundo hæc dubitandi ratio ex eo; nam licet regulariter non profeſſus in aliqua religione, non poſſit in ea Prælatus deſignari, ſi tamen in eo monaſterio negligitur obſervantia regularis, & diſciplina monaſtica omittitur, tunc recte poteſt vel monachus alterius religionis, vel ſæcularis ſacerdos probæ vitæ, & integris

gris moribus præditus, eligi in Prælatum ad reformationem illius monaſterii, ubi Monachi diſciplinam monaſticam abjecerunt, ut ſæpius factum legimus, & temporibus Gregorii XV. admodum uſitatum refert Bruno *d. prop.* 1. Igitur ſi in noſtro caſu Monachi profeſſionem propriam contemnentes diſciplinam regularem abjecerunt, ut ex textu conſtat, recte abſque diſpenſatione Pontificia poterat eremita in Prælatum eligi.

5 De electione prælati regularis.

Sed ita vallata hac dubitandi ratione non obſtante, vera eſt prædicta aſſertio, pro cujus exactiori expoſitione ſciendum eſt, nullum poſſe in Abbatem, ſeu Priorem alicujus religionis præfici, niſi canonice ſit electus ab illis, qui jus eligendi habent. Conc. Bituricenſe *can.* 27. ubi expreſſe Patres vetant, ne quiſquam Abbatiam, ſeu Prioratum retinere præſumat, niſi canonice ſit vocatus. Senonenſe *can.* 27. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 21. circa iſtam vero electionem ultra ea, quæ in aliis deſiderantur, de quibus *in c. qui propter*, aliqua ſpecialia præſcribuntur, tam quoad eligentes, quam quoad eligendos. Et primo eligere Abbatem, ſeu Priorem illi tantum poſſunt, qui ſunt ipſius congregationis, *c. Abbas*, ibi: *Abbas in monaſterio, non per Epiſcopum, aut per aliquem extraneum ordinetur; c. quam ſit, §. defuncto*, ibi: *Defuncto vero Abbate cujuſcumque congregationis, non extraneus eligatur, niſi de eadem congregatione, quem ſibi propria voluntate concors fratrum ſententia elegerit: c. Abbatem* 18. *q.* 2. Facit in hujus ſententiæ confirmationem quod refertur *l.* 2. *chronici Caſſin. c.* 66. de Conrado Imperatore, qui cum anno 1038. Alpibus tranſmiſſis in Italiam veniſſet, adiit D. Benedicti cœnobium Caſſinenſe, ubi a Monachis exoratus, ut eis Abbatem conſtitueret, negavit electionem ſibi competere; dicens: *Vos unum ex veſtris eligite Monachis*: Monachis vero adhuc exorantibus ut Abbatem eligeret, reſpondit: *Nequaquam, ſed de congregatione veſtra præcipue idoneum Abbatem vobis eligite.* Id etiam conſtituit D. Benedictus in ſua regula, *c.* 24. ibi: *In Abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, ut is conſtituatur, quem ſibi concors congregatio ſecundum timorem Dei ſive etiam pars quævis parva congregationis ſaniori conſilio elegerit.* Plura adduximus *in c.* 1. *hoc tit.* ubi ſimul expoſuimus text. *in c.* 1. 18. *q.* 2. Non omnes qui ſunt ejuſdem congregationis, ad electionem Prælati admittuntur; eligentes enim debent eſſe profeſſi in eadem religione, in qua Prælatus eſt eligendus, ſive expreſſe ſive tacite, *c. ex eo, §. in Eccleſiis, c. indemnitatibus, de elect. in* 6. Tamburinus, Suarez, & alii relati a Barboſa *l.* 1. *juris Eccleſ. c.* 17. *n.* 20. Debent etiam eſſe in ſacris ordinibus conſtituti, *d. §. in Eccleſiis, Clement. ut ii, de ætat. & qualit.* unde converſi, nec Monachi profeſſi ſacris ordinibus non initiati, admittuntur ad electionem. Suar. *t.* 4. *tr.* 8. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 3. ſi autem tempore electionis quis inveniatur in ſacris, quamvis tempore vacaturæ non inveniatur, admittitur ad electionem. Tamburinus, qui alia dubia circa hoc quæſitum reſolvit, *diſp.* 5. *q.* 8. Nec etiam admittuntur excommunicati, interdicti, ſuſpenſi, qui indignum elegerunt, & alii, qui ab aliis lectionibus rejiciuntur, *c. illa, c. innotuit, c. ſcriptum, c. fin. hoc tit.*

6 Qualitates eligendi.

Quoad eligendos etiam in Abbates, aut Priores regulares, aliqua etiam ſpecialia deſiderantur. Primum, ut habeant ætatem vigintiquinque annorum, *c. cum in cunctis, §. inferiora, hoc tit.* probant Narbona *de ætate an.* 25. *q.* 57. Secundum, ut ſint Presbyteri, *c.* 1. *c. tuam* 3. *de ætat. & qualit.* Hier. Garcia *ubi ſupra, dub.* 4. *n.* 6. Item ut ſint ex legitimo matrimonio nati, *c.* 1. ubi dicemus, *de filiis Presbyt.* Deinde ut non ſint alterius Monaſterii Abbates, non enim poteſt unus, idemque duobus Monaſteriis præfici, *c. unum*, 21. *q.* 1. *c. fin. de religioſ. dom.* Trid. *ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 7. niſi unum Monaſterium ab alio dependeat, *c. finali*, 25. *q.* 2. Tandem deſideratur, ut ſint profeſſi in eadem religione, ex præſenti textu, & aliis pro confirmatione concluſionis adductis, itaut non ſufficiat profeſſio emiſſa in alia religione, adeo ut ſi Monachus alterius religionis eligatur in Abbatem, vel Prælatum, electio ipſo jure nulla ſit. Clementina 1. *hoc tit.* Barboſa *ubi ſupra, n.* 33. Imo olim cum Monaſteria etiam ejuſdem ordinis erant ita diviſa, ut unum corpus, ſeu congregationem unam non efficerent, debebat Abbas eligi ex proprio Monaſterio. Synodus Carthag. *can.* 8. Conſtantin. *can.* 4. ubi notavit Balſamon, & probavi ſupra *in c.* 1. Poteſt tamen R. Pontifex diſpenſare in hac prohibitione, & facere, ut Monachus profeſſus in alia religione, vel non profeſſus, in Prælatum eligatur, ut fecit Clemens VIII. qui moniales Carmelitanas euntes ex Hiſpania in Galliam cauſa conſtruendi nova Monaſteria, ſubjecit juriſdictioni quorumdam Sacerdotum, & Gregor. XV. Fratribus Reformatorum S. Franciſci pro tempore eas ſubjecit, ut refert Chaſſaing. *d. tr.* 3. *c.* 2. *propoſ.* 1.

7 De variis eremitis.

Secundo præmittendum eſt, eremitas, ideſt in eremo ſolitariam vitam agentes, nullam religionem, aut certam regulam profiteri, nec caſtitatis, aut paupertatis vota emittere. Gratianus *in §. e contra* 19. *q.* 3. qui utrum ſint Eccleſiaſticæ perſonæ, diſputant Suarez *tom.* 4. *l.* 1. *c.* 2. Gibalinus *de clauſura, p.* 3. *c.* 1. *§.* 7. *n.* 23. aliquando vero eos certam regulam profiteri, & ſub Abbate & Priore vitam agere, *c. ad noſtram, de regul.* ut de eremitis D. Auguſtini, & aliis refert Suarez *ubi ſupra*. Alii etiam in eremo degunt, cum prius profeſſi fuiſſent aliquam religionem; cum enim vita ſolitudinis ad ſpiritus perfectionem maxime deſideretur, omni ævo religioſi non longe a Cœnobiis lauras, aut eremiticas conſtruebant cellulas, in quibus ſecederent Deo vacantes, ut refert Caſſianus *in præf. ad collat.* 18. ubi laudat Climacus *c.* 14. Joannem Monachorum præſidem, his verbis: *Erat eidem laudando viro & laura ſubjecta, ex quo cœnobio Præſul ille omnibus numeris abſolutus, ad ſolitudinis quietem perfectiores deducebat.* S. Romualdus Camaldulenſium inſtitutor, ubicumque loci opportunitas erat, non longe a Monaſteriis eremum quoque conſtruebat, ut referunt Aug. Florentinus in hiſtoria Camald. & alii relati a Barboſa *d. l.* 1. *n.* 46. Noſtro etiam ſæculo, tam in Luſitania, quam in his Provinciis, reperiuntur ſimiles eremitæ religioſi D. Benedicti, Franciſci, & præcipue Carmelitarum Diſcalceatorum; cum enim hæc ſacra religio ex primæva ſua inſtitutione eremum petat, ut vitam primitivam agant hujuſmodi, Patres conſtruxerunt in unaquaque Provincia Monaſterium unum eremiticum cum diverſis cellulis in ſolitudine aliqua, in quod perfectionis augendæ gratia religioſi ſecederent, ut in hac Provincia eſt eremus D. Joſeph, vulgo *las Batuecas*, locus valde deſertus, ubi continuo hujus ſacrati ordinis Patres mira ſanctitudine florent: illum deſcribit Yepes *ubi ſupra, d. centuria* 6.

8 Traditur decidendi ratio.

Ex quibus jam profluit vera decidendi ratio præſentis textus; nam cum Monachi non profeſſi neutiquam ſint ejuſdem congregationis, & religionis, non poſſunt in Prælatos eligi, ne quis eligatur in magiſtrum, antequam ſit diſcipulus, *c. miſerum*, 69. *diſt. c. ordinationes, c. ſi officia*, 59. *diſt. c. ſi clericatus, c. ſic vive* 26. 16. *q.* 1. *c. cum in magiſtrum, hoc tit.* & quia juxta Sacram Scripturam non eſt arandum in bove, & aſino, neque quiſquam debet induere veſtem ex lana, linoque contextam. *Deut. c.* 22. refertur *in d. c. in nova* 16. *q.* 7. *c. cum cauſam* 27. *hoc tit. c.* 4. *de apoſtatis*, ideſt, ut exponit Gloſſa ordinaria *in d. c.* 22. homines diſparis conditionis, & profeſſionis in uno, eodemque officio non ſunt ſociandi; unde laici non profeſſi non poſſunt eligi in Prælatos Monachorum, etiamſi habitum religioſum induerint, quia novitii pro laicis habentur, *c. non ſolum* 2. *c.* 3 *de regularibus in* 6. *c. religioſæ* 21. *§. quamvis, de ſent. excom. eod. lib.* & ſi præficiantur regimini Monaſterii, electio antiquitus veniebat irritanda; hodie vero ipſo jure nulla eſt, *ex d. c. nullus* 28. *hoc tit. in* 6. ubi Moez. Sed cum poſtulatio fiat, cum ipſe, qui poſtulatur, eligi non poteſt, propter canonicum impedimentum; inde licet non profeſſus nequeat eligi in ſuperiorem regularem, poteſt tamen poſtulari a ſuperiore, ab Epiſcopo videlicet, ſi Monaſterium non eſt exemptum: ſi vero exemptum ſit, & immediate ſubjectum R. Pontifici, ab eo poſtulandus eſt, ut docet Acunna *in d. c.* 2. 48. *diſt.*

9 Reſpondetur difficultatibus.

Nec obſtat difficultas ſupra perpenſa, ex qua dicebamus, Monachum eligi poſſe Epiſcopum, & ſic Prælatum Eccleſiæ ſæcularis; nam magnum diſcrimen vertitur inter caſum, in quo Monachus eligitur in Epiſcopum; & inter eum, in quo non profeſſus eligitur in Prælatum regularem. Primo caſu electio admittitur; ſecundo vero nulla eſt. Ratio diſcriminis ex eo provenit, nam ſæculares non profeſſi non ſunt experti regulam, & vitam monaſticam, nec in ea facile imbui poſſunt; ſed religioſus facile poteſt inſtrui in vita, & moribus clericorum ſæcularium, quia inſtructus in ſtrictiori vita, facile in laxiore inſtruitur, ut docent Hoſtienſis, & Abbas in præſenti. Nec primum argumentum adverſatur; nam licet aliqui aſſeruerint hanc prohibitionem provenire a jure divino, contrarium tamen verius eſt, & tenent Garcia *ubi ſupra*, Chaſſaing. *d. propoſ.* 1. nihilominus tamen conſuetudine introduci non poteſt, ut non profeſſus eligatur in Prælatum regularem; quia talis conſuetudo eſt irrationabilis, & contraria religioſæ gubernationi, quæ introduci non valet, *c.* 1. *&* 3. *de conſuetud.* In hac enim juris parte attendi debet, quid faciendum, non vero quid factum ſit, *d. c. cum cauſam, hoc tit.* Nec obſtat ultimum argumentum, nam verum eſt, ad reformationem alicujus Monaſterii poſſe ad tempus Monachum diverſæ religionis conſtitui, & proponi; ſed hoc fieri debet non elective, ſed diſpenſative a ſuperiore, ut reformetur Monaſterium illud. At in præſenti caſu Monachi ipſi volebant ſibi in Prælatum eligere unum eremitam, quod per viam electionis facere nequibant, ſi diverſæ profeſſionis erat; quare neceſſario adeundus erat R. Pontifex, ut in hac juris prohibitione diſpenſaret.

10 Exponitur Con. Mogunt. can. 26.

Sed ſuperiori aſſertioni primo obſtat text. *in can.* 25. *Conc. Moguntini, ſub Arnulpho celebrati*, in illis verbis: „ De Monaſteriis clericorum, monachorum, atque puellarum, quæ „ clericis, ſive laicis beneficiis jure donata ſunt, placuit ut „ tales eis præficiant proviſores, & præpoſitos, ſicut in Cabilon. Concilio ſcriptum eſt, cui & præeſſe noverint, & „ prodeſſe, & qui ad Epiſcopum recurrant, & ſecundum „ ejus ordinationem ad conventum Synodi occurrant, & „ commiſſum ſibi gregem canonice, & cum magna religione „ cuſtodiant, quaſi rationem de animabus eorum reddituri. „ Ex quibus verbis conſtat, non ſolum extraneos Monachos, verum & laicos poſſe tamquam Abbates præfici Monaſteriis. Pro cujus canonis expoſitione ſciendum eſt, in Gallia jam a temporibus Caroli Martelli, & ſucceſſorum, conſuetudinem, ſeu potius corruptelam invaluiſſe, ut Regio beneficio Comites, Milites, profanique Proceres Monaſteria poſſiderent ſimul cum nomine Abbatum; illique Monachis dumtaxat erogarent, quantum neceſſarium erat ad ſumptus quotidianos, ex Monachiſque unum eligebant, qui non Abbas (nam id nomen ſibi velut ampliſſimum arrogabant,) ſed proviſor, præpoſitus, ſeu decurio vocaretur, ut variis Scriptoribus illius ſæculi probant Dadinus Alteſerra *li.* 1. *de Ducibus, c.* 13. Joannes Fileſacus *in querela Eccleſiæ Gallic.* Yepes *tom.* 4. *chron. D. Benedicti, in appendice*, Renat. Chopinus *de Domanio l.* 3. *tit.* 28. *& de ſacra polit. l.* 1. *tit.* 1. *n.* 20. De quo abuſu conqueruntur Bonifacius Mogunt. Epiſcopus *ep.* 132. *ad Zachariam Papam*, his verbis: *Modo autem maxima parte per civitates Epiſcopales Sedes traditæ ſunt laicis, cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis clericis, ſcortatoribus, & publicanis ſæculariter ad perfruendum.* Hincmarus

rus in vita S. Remigii apud Surium *die 13. Junii*, refert Aymonius *l. 5. c. 1. Carolus ordinavit per totam Aquitaniam Comites, Abbateſque necnon alios plurimos, quos vaſſos vulgo vocant*. Et *l. 36. Ludovicus quos potuit, conciliavit ſibi, dans eis Abbatias, Comitatus, & villas*. Hoc ſenſu Robertus, & poſt eum Hugo M. uterque Comes Pariſiorum, Cœnobii S. Germani Pariſienſis Abbatem ſe inſcribebat, Aymonius *d. l. 5. c. 34.* „ Tamen vigore „ decedente Regum, Robertus Comes Pariſiorum, qui Mar„ chio Francorum vocabatur, frater videlicet Odonis Regis, „ necnon Hugo Magnus, quin etiam uſque ad tempora Ro„ berti Regis, ea quæ Abbates accipiebant, ſibi addixerunt, „ & ſtatuentes Decanos Monachis, ſibi nomen Abbatis uſur„ paverunt. „ Et adeo Monaſterii prædia occupabant, ut tantum relinquerent Monachis modica alimenta, adhibita victus & veſtitus ratione ut refert Nauclerus *generat.* 33. uſque adeo invaluit hæc illius ſæculi corruptela, ut Suidgerus in Dionis hiſtoria ſcripſerit, Abbates tunc non fuiſse cucullatos, ſed profani ordinis Proceres, in quos Princeps Monaſteria beneficii titulo ad tempus, vel ad extremum vitæ calculum conferret. Conc. Troslejan. *Nunc autem in Monaſteriis Deo dicatis Monachorum, Canonicorum & Sanctimonialium Abbates laici cum ſuis uxoribus, filiis & filiabus, cum militibus morantur, & canibus*. Unde in Synodo Meldenſi coacta anno 845. temporibus Caroli Calvi, queſti ſunt Patres Eccleſiæ Gallicanæ, laicos ut Abbates, & Magiſtros in ipſis Monaſteriis verſari, *cap.* 10. „ Perventum eſt ſiquidem ad nos, quod auditu lu„ gubre, & dictu nefas, actuque horribile, ac nimis triſte „ dignoſcitur; quia contra omnem auctoritatem, contra Pa„ trum decreta, & totius Chriſtianæ religionis conſuetudi„ nem, in Monaſteriis regularibus laici in medio Sacerdo„ tum, & Levitarum, ac ceterorum religioſorum virorum, „ ut domini, & magiſtri reſideant, & velut Abbates de il„ lorum vita & converſatione decernant. *Et can.* 41. Provi„ dendum eſt Regiæ Majeſtati, ut Monaſteria quæ, &c. Et „ nunc in allodium ſunt data; quapropter omnis exinde re„ ligio funditus eſt everſa, qualiter vota fidelium inconvulſa „ permaneant. „ Quare ſequentibus ſæculis cautum apud Gallos legimus patriis legibus in hunc modum: Abbatias nemo teneat qui infra annum habitum religionis non aſsumpſerit. Abbatias Rex ſæcularibus auferat, & reddat Religioſis ejuſdem ordinis. Refert Chopinus *d. tit. de ſacra polit. n.* 20. unde text. *in d. can. 23. Concilii Mogunt.* procedit temporibus Caroli, in quibus prædicta irrepſerat corruptela; non quia ex Sacris Canonibus liceret unquam laicos in Monachorum Abbates eligi: videndus eſt Fileſacus *in d. opuſc. querela Eccleſiæ Gallicanæ*.

11 Opponitur textus in c. quam ſit, 18. q. 2. Secundo præſenti aſſertioni adverſatur text. *in c. quam ſit 5. §. defuncto 18. q. 2.* in illis verbis: *Quod ſi aptam inter ſe perſonam invenire nequiverint, ſolerter ſibi de aliis Monaſteriis ſimiliter eligant ordinandum*. Ex quibus verbis deducitur, eo caſu, quo abjecta eſt Monachorum diſciplina, licere Monachis eligere ſibi Prælatum de alio Monaſterio: ergo non recte noſtro capite *cum Monaſterium*, etiam neglecta diſciplina regulari, non licere Monachis eremitis Prælatum petere, deciditur. Cui difficultati, omiſsa ſolutione Turriſcrematæ in eo textu, qui affirmat deciſionem illam procedere urgente neceſſitate, cum non eſt copia Monachorum, dicendum exiſtimo, D. Gregorium non aſserere, non profeſsum, vel extraneum Monachum poſse in Abbatem eligi; ſed Monachum alterius congregationis, ſed ejuſdem ordinis, & regulæ, poſse in Abbatem illius Monaſterii eligi, ſi in ipſa Congregatione non erat, qui poſset Abbatiæ vacanti præfici. Illis enim temporibus, ut ſupra obſervavi, non poterant eligi Abbates, niſi ex ipſa Congregatione, excepto caſu neceſſitatis, ut in eo textu evenerat.

12 Intelligitur c. ex tranſmiſſa, de renunciat. Tertio prædictæ aſſertioni opponitur text. *in c. ex tranſmiſſa, de renunt.* in illis verbis: *Prædictum Abbatem, & ſocios ejus*. In quibus ſupponitur, Sacerdotem ſæcularem Abbatem eſse; & per conſequens in Præfectum Monaſterii eligi poſse, contra noſtri textus deciſionem: pro cujus textus interpretatione ſciendum eſt, aliquando in jure noſtro inveniri Abbates ſæculares, & ſimiliter Priores, ut *in d. c. ex tranſmiſſa*, & *in c. ult. de majorit. & obed.* non quia Clerici ſæculares præficiantur Monaſteriis; ſed quia Eccleſia, cui inſerviunt, eſt Collegiata; & tunc qui ei ut Prælatus præponitur, aliquando Abbas, nonnunquam Prior dicitur. Chopinus *l. 1. ſacræ polit. tit. 1. n. 17.* vel etiam appellantur Abbates, ſeu Priores, quia in Eccleſiis Cathedralibus eſt dignitas Abbatis, ſeu Prioris, ut in Eccleſia Toletana, Salmantina, & aliis docet Azor *l. 3. inſtit. c. 19.* vel etiam, quia hujuſmodi Eccleſiæ, quibus clerici ut Abbates, aut Priores præſunt, de regularibus, & conventualibus labente regulari diſciplina in ſæculares tranſierunt; tunc enim manet nomen dignitatis Abbatis, aut Prioris talis Eccleſiæ, licet Monaſterium ſublatum ſit: quo in ſenſu accipiuntur Abbates ſæculares, tam in Italia, Gallia, quam Hiſpania, teſtantibus Fabricio *tit. de minoribus & majoribus beneficiis, n. 57.* Zecchio *de republ. Chriſtiana, tit. 25. nu. 2.* Cæſare *de hierarch. Eccleſ. diſp. 13. n. 2.*

Quarto adverſatur textus in extravaganti ſecunda *de præbendis*, ubi ſupponitur, ante tempora Clementis V. in Ec- 13 Explicatur extrav. 2. de præb.
cleſia uſitatum eſſe, ut Monaſteria quoad regimen & adminiſtrationem clericis ſæcularibus commendarentur: ergo temporibus Cæleſtini noſtri textus auctoris, licebat non profeſſos ad regimen Monaſterii eligere. Pro cujus textus interpretatione prænotandum eſt, jam a temporibus Leonis IV. obſervatum fuiſſe in Eccleſia, ut Monaſteria traderentur in commendam eccleſiaſtis perſonis ſæcularibus, non profeſſis, ut docent Ruzeus *in tr. de commenda, c. 1.* Tambur. *tom. 1. de jure Abbatum, diſp. 4. q. 1.* Chopinus *tit. 1. monaſt.* quæ conſuetudo duravit per tempora Urbani VI. & Pauli II. adeo ut Calixtus III. Monaſteria 500. commendaverit clericis, ut refert Chopinus *de ſacra politia tit. 1. n. 14.* Duplici autem ex cauſſa Monaſteria clericis commendabantur: aut quia ſæpe Prælatorum electio ob lites, & controverſias eligentium differebatur; tunc enim ne Monaſteria diu abſque ſuperiore, deſtituta Paſtore aliquod detrimentum paterentur, commendabantur, aut quia decreſcente Monachorum numero, & Cœnobiis pene deſtitutis, vix idonei regulares reperiebantur, qui ipſis Monaſteriis præficerentur, R. Pontifices ipſas Abbatias ſæcularibus clericis nulla regula Monaſtica adſtrictis, in commendam concedere cœperunt, ne dictæ Eccleſiæ ſine Prælatis remanerent, ut docent ſupra citati: per hujuſmodi autem commendas non perpetuo conſulebatur Monaſteriis, ſed ad tempus. Commendare nihil aliud eſt, quam ad tempus deponere, *l. commendare, ff. de v. ſ. l. Lucius, ff. depoſiti, l. rei commendatæ, ff. commodati, c. 1. depoſito*: ſed in noſtro textu agitur de non profeſſo in perpetuum eligendo ad Prælaturam regularem; quæ electio fieri non debet, licet commenda admitti poſſit; nam inhabilis ad retinendum beneficium in perpetuum titulum, non eſt inhabilis ad retinendum illum in commendam. Lambertinus *l. 2. de jurepatron. p. 1. q. 6. art. 14. num. 15.* Garcia *de benef. p. 4. c. 4. n. 24. & 25.* & ſic clericus ſæcularis inhabilis ad Prælatiam in titulum perpetuum obtinendam eſt habilis ad retinendum in commendam. Plura de his commendis Chopinus & Tamburinus *ubi ſupra*.

Quinto opponitur text. *in c. 2. de teſtam.* ubi refertur Gravi- 14 Opponitur c. 3. de teſtam.
niam non profeſſam regulam monialium, in Abbatiſsam Monaſterii fuiſse electam: ergo qui adhuc non eſt profeſsus regulam Monaſticam, poteſt in Prælatum ſeu Abbatem eligi. Cui difficultati ſatisfacere intendit Covar. in eo textu, aſserendo ibi non de electione Abbatiſsæ, ſed de poſtulatione agi: quare nondum profeſsa poterat poſtulari, licet non eligi, ex ſupra adductis. Sed hac ſolutione omiſsa verius dicendum eſt, noſtri textus temporibus, uſque ad Bonifacii conſtitutionem, de qua *in c. nullus, hoc tit. l. 6.* non deſiderari profeſſionem expreſsam in eo, qui in Abbatem eligendus erat; ſed ſufficere tacitam: unde cum *in d. c. 2.* Gravinia tacite profeſsa eſset, quia ſe immiſcuit actibus profeſsarum, unde profeſſio tacita inducitur, *c. vidua, de regularibus*, ideo potuit eligi in Abbatiſsam, quia licet non expreſse, ſaltem tacite erat profeſsa. Hodie vero neceſsario deſideratur expreſsa profeſſio, *d. c. nullus*.

CAPUT XIV.

Idem a Cæleſtinus.

CUm terra, quæ funiculus hereditatis Domini cenſebatur. *Et infra*: Sicut autem ex quarumdam litterarum tenore, & plurium relatione percepimus, quod quidam olim in electionibus faciendis pravæ conſuetudinis morbus irrepſit, ut videlicet cum alicujus Prælati debet electio confirmari, & conventus, ad quem pertinere dignoſcitur, duas perſonas nominet, auribus latenter *b* Patriarchæ, vel *c* Principis exprimendas, ut ſic illarum, vel alterius eligendæ, vel totius electionis penitus irritandæ idem Patriarcha, & Princeps plenariam habeant facultatem. Quia hoc igitur diabolicæ noſcitur verſutiæ, aut fraudis inſtinctu inventum, in perniciem totius eccleſiaſticæ libertatis præſcriptam conſuetudinis pravitatem penitus abolendam, præſentium auctoritate ſancimus, ſtatuentes, ut cum de ſummi Creatoris clementia in manus fidelium terra illa *d* devenerit, ut forma electionis canonicæ in omnibus conventualibus Eccleſiis obſervetur, videlicet, ut cum debeat Eccleſiæ conſuli Paſtoris regimine deſtitutæ, electores in locum, in quo fuerit electio celebranda, conveniant, & invocata Spiritus Sancti gratia, perſonam ſolemniter canonice nominent, in qua omnes, vel major pars ſanioris conſilii potuerint convenire; & ea ſine ullius contradictione, dummodo perſona idonea fuerit, & electio ſine ſimoniaca pravitate celebrata, ad illius Eccleſiæ regimen admittatur. *e* Quod ſi in perſona fuerit, vel in electionis modo peccatum, tamdiu electores in electione diligentiam inquiſitionis apponant, donec ſecundum præſcriptam formam vacanti Eccleſiæ de perſona congrua valeat provideri. Quo facto non prohibemus, quia Regis, qui pro tempore fuerit, ſeu Patriarchæ requiratur aſſenſus: ſed propter ipſum prædictam electionis formam nolumus impediri.

NOTÆ.

1 a CÆleſtinus.) Ita etiam legitur in ſecunda collectione Ant. Auguſtini, *ſub hoc tit. c. 6.* cui tamen miſsa ſit hæc decretalis, non conſtat; ſuſpicari autem valet, miſsam eſse Epiſcopis Jeroſolymitanis, & eam motu proprio, non vero ad partis conſultationem edidiſse Cæleſtinum noſtrum.

b *Patriarchæ.*) Jeroſolymitani, de cujus origine & progreſsu, Deo

Deo annuente dicam *in c. 2. de clericis pereg.* Cæleſtini autem temporibus ad faſtigium hujus dignitatis fuit evectus Heraclius, qui ut Legatus miſſus fuit ad Regem Francorum pro auxilio impetrando ad Jeroſolymas periclitantes, ut refert Baronius *an. 1185. n. 2.*

3 c *Principis.*) Ideſt Regis Jeroſolymitani: noſtri enim textus temporibus Imperium Occidentis obtinebat Henricus V. Orientis vero Iſaacus, & Guido Rex Jeroſolymitanus erat; quamvis jam anno 1187. eo capto & in carcerem detruſo, Saladinus Babyloniæ Rex Jeruſalem caperet, ut cladem referens tradit Baronius anno 1187. & poſt eum Beſoldus *in hiſtor. Jeroſol.* Demum anno 1191. Rex Francorum, mortuo prædicto Guidone, pace inita cum Saladino, regnum Jeroſolymorum nepoti ſuo tradidit, ut refert Baronius: unde cum non perpetuo Rex eſſet Jeroſolymitanus, ait noſter Cæleſtinus in calce text. *Regis qui pro tempore fuerit*.

4 d. *Devenerit.*) Sæculo enim noſtri Cæleſtini Principes Chriſtiani magnopere intendebant in expeditionem &, reſtaurationem Terræ ſanctæ; Jeroſolyma enim recuperata a Sarracenis anno 1180. iterum occupata fuit a prædicto Saladino anno 1187. quare tam Clemens III. quam noſter Cæleſtinus curarunt, ut Principes Catholici, cruce aſſumpta, in prædictam expeditionem intenderent, cujus belli occaſione Pontifex decimas vulgo *Saladinas* dictas indixit. Baronius anno 1188. ubi Spondanus.

5 e *Quod ſi in perſonam.*) Hæc verba expoſuimus *in c. conſideravimus, hoc tit.*

COMMENTARIUM.

6 Traditur aſſertio. COnclusio communiter ex hoc textu deducta ſic ſe habet: *Non valet conſuetudo, per quam ad alterius voluntatem tenetur Monaſterium eligere Prælatum*. Probant text. *in c. 1. 2. 63. diſt. c. cum inter, de conſuet. c. ſacroſancta, c. Maſſana, hoc tit. c. ubi periculum, §. ceterum, c. quiſquis, hoc tit. in 6. c. bonæ, el 3. poſtul. Prælat. c. Abbate, de v. ſ.* Concil. Conſtantinop. 8. Illuſtrant Caſtellinus *de elect. c. 14. n. 60.* Fr. Manuel Rodriq. *t. 1. q. 103.* Tamb. *de jure Abbatum t. 1. diſp. 7. q. 22.* Garcia *tom. 2. polit. diffic. 5. dub. 4.* Barboſa *voto 52.*

7 Traditur ratio dubitandi. Sed hæc concluſio impugnatur ſequenti conſideratione: Nil frequentius in jure noſtro obſervatum legimus, quam ut electio Epiſcoporum Principi ſæculari præſentetur, ejuſque expectetur aſſenſus, *c. quia igitur 19. c. principali 15. c. Reatina 16. c. leſtis 18. c. cum longe 25. 63. diſt. c. cum inter 18. c. innotuit 20. c. quod ſicut 28. hoc tit.* plura adducunt Boetius Epon. *tit. de regal.* Fileſacus *in c. 7. §. 6. & 7.* Juretus *in ep. 104.* Menardus *ad Sacram. D. Gregorii, pag. 301.* Lavorus *de elect. c. 15. n. 23.* ex Salcedo *li. 2. legis polit. c. 11. n. 8.* noviſſime eruditiſſimus Præceptor D. Franciſcus Ramos *in memoriali ad Alexandrum VII. fol. 46. n. 11.* ergo juxta juris regulas conſuetudo Jeroſolymis præſcripta erat, ut Monaſterium, ſeu Monachi duos eligerent, & præſentarent Patriarchæ aut Principi, ut unum ex eis in Prælatum eligerent. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam conſuetudinis non levis auctoritas eſt, *c. conſuetudinis, c. fin. de conſuet. l. 2. Cod. quæ ſi longa conſuet.* imo quamplurimum operatur circa electiones Prælatorum, tam regularium, quam ſæcularium, *c. querelam, c. cum Eccleſia, hoc tit.* unde conſuetudine introduci valet, ut Canonici irrequiſito Epiſcopo eligant Prælatos inferiores, *d. c. cum Eccleſia*: vel econtra, ut ſolus Epiſcopus eos eligat, *c. ex noſcitur, de his quæ fiunt a Prælat.* Item ut ab aliquibus poteſtas eligendi auferatur, *c. 2. de in integr. reſtit. cap. finali, ne ſede vacante*. Similiter conſuetudine poteſt introduci, ut abſentes non vocentur ad electionem, Gloſſa *in c. fin. de conſuet.* ut habilis reddatur ineligibilis, Gloſſa *in c. olim, de clericis conjug.* ut Canonici non antea ad electionem procedant, quam Princeps morte Prælati certioretur: ergo ſimiliter conſuetudine fieri poteſt, ut duo, vel tres Principi præſententur, ipſeque ex eis unum eligat, vel omnes ejiciat.

8 De loco electionis. Qua difficultate ſic fulcita minime obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, in electionibus eccleſiaſticis certam præſcriptam eſſe formam *in c. quia propter, hoc tit.* Circa quam primo deſideratur, ut electores conveniant certo in loco, in quo debent collegialiter congregari, *d. c. cui propter, §. electiones*, exemplo Apoſtolorum in electione B. Matthiæ, ut refertur *c. 2. Actuum*; electio enim non in latibulis, aut locis clandeſtinis, ſed in publico, & honeſto loco fieri debet, *c. in Geneſi, d. c. qui propter, §. electiones*; in conſueto loco, ubi tutus ſit acceſſus, *c. qua fronte, de appellat.* ut in Eccleſia, Capitulo, Choro, Sacriſtia, aut Bibliotheca, *c. cum nobis, hoc tit.* præcipue tamen in Eccleſia, ubi eligendus præficiendus eſt, *c. ſicut, hoc tit.* aut ubi facilius facultas ſe obtulerit, *c. in nomine, 23. diſt. c. preceptum, 22. q. 2. c. in cauſis, hoc titulo*: docent Tambur. *tom. 1. de jure Abbat. diſp. 5. qu. 6. nu. 3.* Hier. Garcia *tom. 2. polit. regul. difficul. 2. dub. 7.* Certus autem locus non eſt de ſubſtantia electionis, quia quilibet, ubi electores congregentur, dicetur Capitularis, *c. quod ſicut, hoc tit.* Tambur. *d. q. 6. n. 3.* in loco autem interdicto electio celebrari non debet, *c. 1. de poſtul.* ubi Barb. *n. 2* præcipue R. Pontificis, *c. ubi periculum, §. porro, hoc tit. in 6.* quamvis contrarium docuerint Abbas, Joannes Andreas, & alii, quos refert & ſequitur Julius Lavorus *d. tit. 4. de elect. c. 18.*

9 De Sacrificio Miſſæ præmittendo. Secundo pro noſtri textus expoſitione, in illis verbis, *invocata Spiritus Sancti gratia*, notandum eſt, congregatis electoribus in honeſto ac conſueto loco, offerendum eſſe Miſſæ Sacrificium de Spiritu Sancto; *c. cum inter, el 2. hoc tit.* Concil. Baſileenſe *in pragmat. ſanctione, §. tum humana*, ibi: *Invocatione facta antequam electionis locum ingrediantur electores, Miſſam audiunt de Spiritu Sancto, cujus gratiam implorent, ut de digno Paſtore inſpirare dignetur*. Trid. *ſeſſ. 24. de reform. c. 1.* docent Petrus Gregor. *de elect. c. 15. n. 13.* Lavorum *c. 19. n. 43.* Tambur. *d. q. 6. n. 34.* Principium omnium actionum a Deo eſſe auſpicandum, Pontifices decreverunt *in c. nomine, 23. diſt.* & ipſi Gentiles neglecta vera religione, idem ſtatuerunt, & obſervarunt, *l. 2. C. de officio Prætoris Africæ*, ex Platone refert Marſilius Ficinus *in argumento dialogi Platonis*: & Romani nunquam ad eligendum ingrediebantur Senatum, niſi prius Diis ſacrificarent: refert Gellius *l. 4. noctium, c. 7.* Sed utrum de ſubſtantia electionis ſit hæc Sacrificii oblatio, apud Interpretes non conſtat? Ad eſſentiam canonicæ electionis deſiderari docent Madagog, Petrus de Viag. F. Emanuel Rodriquez, relati a Lavoro *d. c. 19. n. 43.* ſed contrarium, imo ad eſſentiam electionis non deſiderari hanc Sacrificii oblationem, docuerunt Sigiſmundus *tit. de electione, dubio 19.* plures relati a Tamburino *ubi ſupra, q. 7. n. 7. & 8.* Lezana *tom. 3. verbo Electio*, Garcia *d. difficultate 2. dub. 1. in fine*, quorum ſententia verior eſt, niſi aliqua Eccleſia ſæculari, vel regulari caveatur cum clauſula irritationis; aliter enim licet non ſit omittenda, aut negligenda hæc laudabilis conſuetudo, tamen ſi de facto omittatur, adhuc electio valida eſt.

His ſuppoſitis hujus deciſionis ratio ex eo provenit; nam 10
cum cuilibet canonicorum collegio, ſeu regularium capitulo Traditur
competat poteſtas eligendi ſibi Prælatum, *cap. 1. ubi dixi*, decidendi
hoc tit. & libera illis competat electio, non poteſt conſuetu- ratio.
dine introduci, ut electores teneantur duos Principi præſentare, quos etiam dignos ipſe poſſit rejicere, cum hæc conſuetudo repugnet ſubſtantiæ electionis, quæ ex ſua natura libertatem petit in eligentibus: ſed conſuetudo repugnans ſubſtantiæ actus, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ut corruptela a ſacris canonibus rejicitur; late probavi *in c. 1. de conſuet.* igitur conſuetudo Jeroſolymis introducta, ut libertati, & ſubſtantiæ electionis contraria, recte damnatur a noſtro Cæleſtino. Accedit, nam cum alicujus conſenſus deſideratur ad confirmationem electionis, non ita ex ejus nutu pendet electio, ut ſi nolit dignos confirmare, audiendus ſit: neceſſario enim tenetur aſſenſum præſtare, & legitime electos confirmare, ut probavi *in cap. poſtquam 3. hoc tit.* igitur nullo modo conſuetudine Jeroſolymis introduci poterat, ut electio ex mera, & abſoluta Principis penderet voluntate, poſtquam a Capitulo legitime facta erat. Regis tamen expectatur aſſenſus, quia Reges jus habent reſpuendi Epiſcopos, ſi ſuſpecti ſint, & Reipublicæ commotio ſuſpicari valeat, Innoc. III. *l. 1. epiſt. ad Ædernem Pictavienſem Epiſcop.* ibi: *Nec ipſa perſona, in quam vota electorum conveniſſent, Regi ex certa ratione ſuſcepta exiſteret*. Triſtanus Coleus *l. 16. hiſtor. patriæ*, ubi refert orationem Legatorum Mediolanenſium coram Clemente Pontifice habitam pro reſpuendo Archiepiſcopo Vicecomite electo, ibi: *Contradiximus, fateor, edicto Pontificio, deſignatumque Antiſtitem recuſavimus, non ut Majeſtati veſtræ derogaremus; ſed ne hic ſub nomine, & poteſtate Sacerdotii excidium patriæ moriretur*. Et ſtatim: *Intereſt nimirum, Pater Beatiſſime, non tam ſacrorum, & religionis, quam publicæ quietis, qualem Præſulem ſortiamur: quo enim ſe Paſtor noſter inclinaverit, eo imperia, & opes flectere*. Hoc jus excipiendi contra Præſules, ex pluribus plura adducentes probarunt Salgado *de Regia protectione, 3. par. c. 10. n. 240.* Solorzanus *l. 3. de jure Indiar. c. 4. n. 33.* Salcedo *de lege l. 2. c. 8. n. 31.* omnia complectens eximius vir D. Franciſcus Ramos in ſæpe allegato memoriali, *propoſ. 2. n. 10.* Juſte ergo licet Cæleſtinus in præſenti damnet conſuetudinem ſupra traditam, decernit Regium eſſe expectandum aſſenſum.

Nec obſtat difficultas ſupra propoſita, pro cujus ſolutione 11
ſciendum eſt, Principes ſæculares poſſe conſenſum electioni Diſſolvitur diffi-
præſtare, vel eligendo, ſed præſentando ratione juriſpatro- cultas.
natus, vel ratione privilegii Apoſtolici, ut invictiſſimi noſtri Principes, quorum jus in præſentatione Epiſcoporum Regiæ Coronæ late probant Salcedo *de leg. polit. l. 2. c. 11.* Rouſſelius *l. 2. hiſt. Pontif. c. 6. n. 26.* ex noſtris Salmanticenſibus Balboa *in c. cum Eccleſia, n. 33. de cauſa poſſeſſ.* Solorzanus *de jure Indiar. tom. 2. l. 3. c. 4. n. 28.* concollega meus Eſcobar *de Pontif. juriſd. c. 8. num. 7.* D. Franciſcus Ramos in ſuo non ſatis laudato memoriali, *prop. 1. n. 1.* apud quem extant culmus, & calamus: & tunc omnino expectatur Regis aſſenſus. Aut citra privilegium, & juſpatronatus aſsenſum præſtant, ut Rex Hieroſolymorum in præſenti, quo caſu licet olim Principes eo aſsenſu uterentur, ita ut rejicerent, vel admitterent quos maluiſsent, id tamen ſuſtinebatur, quia aliter fieri non poterat, ut ait Lucius III. *c. hoc tit. in prima collectione*. Poſtea vero ſequentibus temporibus temperatus fuit rigor ille, & tantum ad approbandam electionem expectabatur aſsenſus, ut in noſtro textu, & ſimilibus: quem aſsenſum eſse expectandum Pontifex noſter etiam decrevit. Nec augmentum difficultatis obſtat; nam diſcrimen conſtituendum eſt inter caſum, in quo conſuetudo præſcripta repugnat ſubſtantiæ electionis; & inter caſum, in quo tantum opponitur ejus accidentalibus. Primo caſu conſuetudo ut corruptela rejicitur, ut in noſtro textu, & ſimilibus. Secundo vero caſu, cum tantum repugnet accidentalibus, & juri poſitivo, ſuſtinetur, ut in juribus pro ratione dubitandi adductis.

Sed primo ſuperiori aſsertioni adverſatur text. *in c. Agatho* 12
21. diſt. 63. in illis verbis: *Sic tamen, ut ſi contigerit poſt ejus* Exponitur
tranſitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, c. Agatho
niſi prius decretum generale introducatur in Regiam urbem, ſecun- 21 diſt. 63.
dum antiquam conſuetudinem, ut cum ejus ſcientia, & viſione debeat ordinatio provenire. Ex quibus verbis expreſse conſtat,

conſuetudine introduci poſſe, ut in electionibus omnino attendatur Imperatoris, ſeu Principis voluntas, ut ex ejus juſſu inſtitutio, ſeu ordinatio pendeat. Hujus textus ſolutio in promptu eſt, ſi in memoriam revocemus, quæ hiſtorice narravimus *in c. licet 6. hoc tit.* videlicet, temporibus primis Eccleſiæ, præcipue ævo Imperatoris Juſtiniani, R. Pontificem, etiam legitime electum, non antea conſecrari potuiſſe, quam ejus electio ab Imperatore, vel ejus Exarcho confirmata eſſet; imo donec certam pecuniæ ſummam electus Imperatori penderent, ut narrant Lantdmeter. *l.2. de veteri clerico, c.98.* Rouſſelius *l.2. hiſtor. Pontif. juriſd. c.9. & l.5. c.4.* quod propter ſchiſma ſedandum Imperatoribus Orientis primum fuerat permiſſum, deinde extra ſchiſma hanc ſibi uſurpaverunt facultatem Imperatores, ut *in d. c. 2.* latius retuli, & narrant Onuphrius *in vita Pelagii*; ad quæ tempora referendus eſt textus *in d. c. Agatho*, & verba illa, *juxta conſuetudinem*, accipienda ſunt de prædicta corruptela.

13 Intelligitur c. lectis 18. 63. d. 1. Ad eadem etiam tempora, & ex ſupra dicta obſervatione referendus eſt text. *in c. lectis 18. 63. diſt.* in illis verbis: *Ordinare omiſimus, quod Imperialem nobis, ut mos eſt, abſolutionis detulit epiſtolam.* Ipſius autem textus facti ſeries ita contigit. Reatina Eccleſia, quæ eſt in Provincia, & Ducatu Spoleti, longo tempore fuerat deſtituta Paſtore, uſque dum precibus Leonis IV. Pontificis Romani Lotharius, & Ludovicus Colonum Epiſcopum elegerunt; cujus electionis ratio extat *in c. Reatina 16. 63. diſt.* Sed cum ipſe Colonus e vivis exceſſiſſet, Guido Dux Spoleti alium Epiſcopum conſenſu Cleri, & populi electum, ordinandum propoſuit Stephano VI. Pontifici, a quo adoptatus fuerat, ut refert Flodoardus *l. 4. hiſtor. Rhemenſis.* Sed Pontifex illum conſecrare recuſavit, quia conſenſus Imperialis non præceſſerat, cum ſecta illorum temporum pateretur, ut Principes non ſolum aſſenſum præſtarent poſt electionem, verum & eligerent Eccleſiæ Prælatos, quare Pontifex *in d. c. lectis*, ſcribit Duci Spoleti Imperialem aſſenſum juxta conſuetudinem priſcam expectandum eſſe. Cujus textus hiſtoria neglecta, ex eo plura deducit Germonius, *l. 3. ſacrorum, c.12. n.45.* Sed nos eleganter habemus narratam apud Præceptorem Illuſtriſ. D. Franciſcum Ramos *in d. memoriali prop. 1. n. 23.*

14 Explicatur c. bonæ, & 2. de poſt. Prælat. Opponitur etiam text. *in c. bonæ, el 2. de poſtulat. Prælat.* in illis verbis: *Sed vobis dedimus in mandatis, ut ad providendum vobis Paſtorem idoneum per electionem canonicam, vel poſtulationem concordem, requiſito Suffraganeorum aſſenſu, ſi eſſet de antiqua, & approbata conſuetudine requirendus, procedere curaretis.* Ex quibus verbis manifeſte deducitur, ex conſuetudine poſſe introduci, ut in electionibus Eccleſiaſticis aliquorum expectetur aſſenſus, itaut illis irrequiſitis electio celebrata nulla ſit: igitur conſuetudo Jeroſolymis introducta, ut electiones Prælatorum Regi, & Patriarchæ præſentarentur, & eorum expectaretur aſſenſus, tamquam ſacris Canonibus contraria, rejicienda erat. Cui difficultati ut ſatisfaciamus, diſcrimen conſtituendum eſt inter conſuetudinem, qua introducitur, ut aliqui extranei a Capitulo ſuffragium habeant in electione; & inter eam, qua præſcribitur jus improbandi, & reprobandi electionem legitime celebratam. Primo caſu conſuetudo tamquam legitima obſervatur, & attenditur, *cap. cum Eccleſia 31. hoc titulo*: conſuetudo enim circa ſuffragia admittenda, vel reſpuenda maxime attenditur, *cap. in Geneſi, cap. coram 35. hoc titulo.* Secundo vero conſuetudo defendi non poteſt, nec admitti, tamquam contraria ſubſtantiæ electionis, & ejus libertati. De prima loquitur text. *in d. c. bonæ*; & ideo non admittitur conſuetudo: in ſecundo vero caſu procedit noſter textus, ut ſupra dixi.

C A P U T XV.

a Cæleſtinus III. *Helienſi Epiſcopo.*

TRanſmiſſam jamdudum, ſicut inſinuare curaſti, ad noſtram perveniſſe audientiam quæſtionem, tua nunc devotio replicavit, quid tibi faciendum ſit ſuper eo, quod clerici tuæ diœceſis, cum pro ſuis exceſſibus ſuſpenſionis, vel interdicti, vel *b* excommunicationis ſententia percelluntur, parvipendentes *c* eam, dimittunt *d* Eccleſias, & conferunt ſe ad mercimonia *e* laicorum. Nonnulli quoque ipſorum, habitu clericali poſtpoſito, *f* veſtes induunt laicales, & ſicut laici mercatores, ſe turpibus quæſtibus implicant, conſimilium ſibi laicorum manus aſſociant, & correctionem eccleſiaſticam per contemptum eludunt, dicentes quod poteſtatem non habeas corrigendi eos, niſi tibi ſpecialiter fuerit ab Apoſtolica Sede indultum. Nos autem in hoc volentes tibi certum dare reſponſum, tuæ devotioni reſpondemus, quod ſi quando tales repereris, ſi commoniti noluerint a tam turpibus actibus revocari, & de contemptu ſatisfacientes, plenarie ad clericale ſchema redire, tu eos auctoritate noſtra ſuffultus excommunicationi appellatione ceſſante ſubjicias, faciaſque eos ab omnibus arctius evitari, donec reatum ſuum congrua ſatisfactione diluerint, præſertim ſi qui eorum in ſacris Ordinibus conſtituti ſunt: hoc etiam ſine ſpeciali mandato exequi poſſes, cum ex quo electionis tuæ confirmationem accepiſti, de talibus & conſimilibus, præter ea quæ & majoris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt, & miniſterium conſecrationis deſiderant, quod juſtum eſt, & eccleſiaſticæ convenit utilitati, ſtatuendi liberam habeas facultatem.

N O T Æ.

1 a CÆleſtinus.) In hac Raymundi compilatione tantum legitur, *Cæleſtin. III.* in ſecunda vero, ubi ſub hoc titulo reperitur hæc deciſio, legitur, *Clem. III. Halienſi Epiſcopo.* Sed ex his duabus inſcriptionibus vera reſtituenda eſt in hunc mundum, *Cæleſtin. III. Helienſi Epiſcopo.* Cæleſtinus enim ipſe auctor proponitur duarum præcedentium deciſionum; unde juxta ſeriem temporum, quæ in hac collectione ſervatur, non poteſt tribui hæc deciſio Clementi III. qui Cæleſtini prædeceſſor fuit: addimus, *Helienſi Epiſcopo*, ex dicta collectione ſecunda, & merito; nam temporibus Cæleſtini III. Eccleſia Anglicana fœdiſſimis deturpabatur clericorum exceſſibus; unde in Eboracenſi Concilio illis temporibus celebrato, quod extat *tom. 4. pag. 1443.* in editione Binii, mercimonia, veſtis laicalis delatio, & turpia lucra clericis prohibentur, quorum exceſſuum mentio fit in hac deciſione: quare non improbabiliter exiſtimo auctorem hujus textus eſſe Cæleſtinum III. epiſtolam autem eſſe miſſam Epiſcopo Helienſi; de qua Eccleſia egi *in c. Paſtoralis, de reſcript.*

2 b *Excommunicationis.*) Ob quæ delicta clerici his afficiantur pœnis, longum foret etiam per indicem recenſere. Videndus eſt Ant. Aug. *in epitome juris, ex lib. 37. uſque ad finem operis.*

3 c *Parvipendentes.*) Cum excommunicatio ſit nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & nulla major pœna in Eccleſia reperiatur, *c. nemo contemnat 31. c. omni 32. cum ſeq. 11. q. 3.* traditur enim ſatanæ excommunicatus, juxta Apoſtolum *1. ad Corinth.* quem locum exponit Morinus *l. 2. c. 29.* ideo non eſt parvipendenda hæc cenſura.

4 d *Dimittunt.*) Cum ſine licentia proprii Epiſcopi non poſſint dimittere titulos, quibus adſcripti, & mancipati ſunt, *c. admonet*, ut dicam, *de renunt.*

5 e *Mercimonia.*) Quod innumeris juris noſtri teſtimoniis illis prohibitum eſt, quæ Deo annuente, dabimus *in c. 1. ne Clerici, vel Monachi.*

6 f *Veſtes.*) Quam aliena ſit a profeſſione ſacerdotali hæc veſtium delatio, probabo *in cap. Clerici, de vita & honeſt. Clericor.*

COMMENTARIUM.

7 Concluſio probatur. EX hoc textu talis deducitur aſſertio: *Epiſcopus confirmatus, licet non conſecratus, poteſt exercere omnia, quæ ſunt juriſdictionis.* Probant text. *in c. in nomine, 23. diſt. c. ſi quis Ordinatus 492. diſt. c. cum in cunctis 7. §. cum vero, c. quod ſicut, §. præterea, c. noſtri, c. nihil 44. hoc tit. c. quamvis 7. q. 1. c. verum, 7. de foro comp. c. cum ex illo, de tranſlat. Epiſc. c. ſicut 33. de ſimon. c. fin. de clerico excommun. c. cum jam 18. de prebend.* Illuſtrant Petrus Gregor. *de elect. c. 19. & 20. & lib. 5. partit. tit. 2. & l. 15. ſyntagm. c. 12. num. 33.* Duarenus *de benef. c. 5.* Solorzan. *tom. 2. l. 3. c. 4. n. 56.* Franc. Hallier. *de ſacris elect. 2. p. cap. 2. art. ult. §. 7. & de hierarch. fol. 227. & 894.* Lotherius *de benef. l. 1. q. 27.* Corvinus *l. 1. aphoriſ. tit. 5.* Diana *p. 12. tr. 1. reſol. 94.*

8 Diſſolvitur ratio dubitandi. 8 Sed in hanc aſſertionem inſurgi poteſt ea validiſſima ratione. Epiſcopi, etiam confirmati, ante conſecrationem non ſunt, nec appellantur Epiſcopi, *c. nulla, 1. 62. diſt. c. ſicut 8. diſt. 40. c. ſuper his, de accuſat.* ſed electi, *c. tua, nos, de his, quæ fiunt a Præl.* imo in hierarchia Eccleſiaſtica diverſum gradum a Presbyteris non obtinere probant late Cellotius *de hierarch. l. 13. c. 17.* Petrus Bollo *in œconomia, claſſ. 3. c. 1. §. 2.* Cæſar *de Eccleſiaſtic. q. 4. proœmiali, §. 3. & 1. p. diſp. 6. §. 1. & 6.* Amplius Eccleſia, in qua Epiſcopus electus, & confirmatus eſt, dicitur viduata, *c. quoniam 100. diſt. Can. 76. Concilii Vorm.* ergo ante conſecrationem nec ea, quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopus exercere valet. Augetur hæc conſideratio, nam ſi Epiſcopus, quæ ſunt juriſdictionis, obire poſſet, fructus ipſius Epiſcopatus recipere, & adminiſtrare valeret; redditus Epiſcopatus, quouſque Epiſcopus conſecretur, penes œconomum deponuntur, *c. quoniam, 75. diſt. c. ſi quis 492. diſt.* & ſi non ſint Canonici in Eccleſia, qui eorum curam habeant, Archiepiſcopo cuſtodia competit, *c. non licet, 12. q. 2.* Greg. M. *l. 2. in d. 10. ep. 15. 26. & 27. novel. 7. Emman. Comneni*: igitur ea, quæ non ratione conſecrationis, ſed juriſdictionis pertinent, ab Epiſcopo tantum confirmato exerceri non valent.

9 Traditur decidendi ratio. Hac ratione dubitandi parum obſtante, vera eſt noſtra aſſertio, ad cujus interpretationem præmittendum eſt, in Epiſcopo perfecte, & conſummate Epiſcopo, tria conſiderari, videlicet electionem, confirmationem & conſecrationem. Sed quia de electione egimus *in c. 2. c. cum in cunct. de elect.* de conſecratione *in c. poſtquam 3. c. noſti 9. hoc tit.* de conſecratione *in cap.*

cap. ſi Epiſcopus 6. de temper. ordin. ideo in præſenti omittimus: quibus præmiſſis ratio noſtræ deciſionis eo provenit, nam licet Epiſcopus confirmatus, perfecte Epiſcopus illius Eccleſiæ non ſit, eſt tamen ejus Prælatus, *c. tam litteris, 33. de teſtibus*, ubi Innocentius ſcribit, ut ſi delicti, quo accuſabatur Epiſcopus confirmatus, convictus eſſet, a Prælatione Eccleſiæ Lucanenſis amoveretur: ergo quia jam erat Prælatus Eccleſiæ ante conſecrationem. Idem probatur ex eleganti deciſione text. *in c. ſuper his 16. de accuſat.* ubi aſſeritur, accuſantem Epiſcopum tantum electum, non debere ſubſcribere, quia approbata accuſatione non dejicit promotum, ſed impedit promovendum; accuſantem vero Epiſcopum jam confirmatum, ſubſcribere debere, quia tunc dejicit jam promotum: igitur quia per confirmationem confirmatus efficitur Prælatus Eccleſiæ. Facit etiam pro noſtro Cæleſtino exemplum Apoſtolorum, quorum ſucceſſores Epiſcopi ſunt, *c. quanto de conſuetud.* Apoſtoli enim electi, & confirmati fuerunt, cum Dominus noſter eos ab aliis ſegregavit, & ſelegit. *Lucæ c. 6.* ibi: *Quos & Apoſtolos nominaverat.* Et *Matth. c. 10. Marci 3.* Conſecrati autem, & initiati fuerunt in nocte cœnæ, dicente Domino: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut habetur *Lucæ c. 22.* Sed antea prædicabant, & exercebant, quæ erant juriſdictionis, ut probat Hallier. *de ſacris electionibus fol. 933.* igitur & Epiſcopi eorum ſucceſſores poſt confirmationem poſſunt ea, quæ ſunt juriſdictionis exercere. Deinde facit R. Pontificis exemplum; ipſe enim, quia nulla indiget confirmatione, *c. licet 6. hoc tit.* ſtatim ante conſecrationem, quæ ſunt juriſdictionis exercet; unde legimus Greg. VII. ante diem ſuæ conſecrationis Legatos in diverſas partes miſiſſe, ut ipſe teſtatur *l. 1. ep. 67.* & Clem. IV. Peruſiis commorantem, Pontificem renunciatum; Viterbiam Cardinales ad Curiam accerſiviſſe, referente Platina *in eo*, & Cæleſtinum plura adminiſtraſſe ante conſecrationem, referunt Ciaconius, & Platina *in eo*. Epiſcopus etiam Cato Arvenæ Civitatis electus, & confirmatus, Cautino Archidiacono judicialiter minas intulit: refert Greg. Turon. *l. 4. hiſt. c. 7.* recte igitur aſſerit Cæleſt. Epiſcopos per confirmationem conſequi facultatem exercendi omnia juriſdictionalia.

10 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec refragatur ſupradicta difficultas; licet enim Epiſcopus non conſecratus, ſed tantum confirmatus, non dicatur perfecte, & conſummate Epiſcopus; ſiquidem poſt confirmationem poſſunt in ordinatione aliqua objici, quæ removeant ipſum ab Eccleſia, *c. illud, diſt. 23. novel. 63. Juſtinian.* & ut ait Innoc. *in c. inter de tranſlat. Epiſcopi*, datur ſpirituale fœdus conjugii, quod inter Epiſcopum, & Eccleſiam intercedit, in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in conſecratione intelligitur conſummatum: tamen quoad juriſdictionem exercendam non deſideratur, ut perfecte, & conſummate ſit Epiſcopus; ſed ſufficit, ut ſit confirmatus. Conſecratio autem deſideratur, ut exerceat ea, quæ ſunt ordinis. Nec obſtat Eccleſiam etiam poſt confirmationem electi dici viduatam, *d. c. quoniam 76. diſt.* Conc. Vvormat. *Can. 76.* nam huic difficultati ſatisfacit Innoc. III. *in d. c. inter*, in illis verbis: *Cum non intelligatur Eccleſia viduata, quaſi ſponſum non habeat; ſed quia ſponſus ejus adhuc non ſit conſecratus*, adhuc quoad quædam quaſi viri maneat ſolatio deſtituta: ſicut juxta communem modum loquendi illa dicitur Eccleſia viduata, quæ licet Epiſcopum habeat, inutilem tamen habet: dici etiam poteſt viduata, quia matrimonium inter ipſam, & Epiſcopum conſummatum non eſt, juxta tradita *in c. noſtri, hoc tit.* exponit Hallier. *de ſacris election. fol. 297.* Nec augmentum difficultatis deductum *ex d. c. quoniam, c. non liceat*, obſtat; nam licet, quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopo concedantur, tamen denegatur ei miſtio in bonis, & fructibus Eccleſiæ ſpeciali ratione, videl. ut ad procurandam ſuam conſecrationem confirmatus alliciatur: & ſic jura, quæ concedunt confirmato exercitium juriſdictionis, negant Epiſcopo immiſſionem in bonis, & fructibus Eccleſiæ; ideoque tantum ea, quæ acquirit Epiſcopus a tempore conſecrationis, acquirit Eccleſiæ non a tempore confirmationis, quia antea non implicatur fructibus, & bonis Eccleſiæ: quo modo intelligendus eſt text. *in cap. ut Clerici 3. de peculio Cleric.* omiſſo Butrio ibi, *num. 3.*

11 Exponitur c. Verum, de foro comp. Sed primo adverſatur ſuperiori aſſertioni textus *in cap. verum, de foro compet.* in illis verbis: *Ex quo fuerit in Eccleſia conſecratus.* Ex quibus expreſſe probatur, de cauſa feudali cognoſcere non poſſe Epiſcopum confirmatum, ſed deſiderari, ut ſit conſecratus: at cauſa feudalis eſt juriſdictionis, *c. ceterum, de judic.* igitur quæ ſunt juriſdictionis, non poſſunt exerceri ab Epiſcopo confirmato. Oppreſſi hac difficultate Innoc. & Hoſtienſis *ibi*, & Gothofredus *in ſumma illius tituli*, exiſtimant addendam eſſe particulam *maxime*, ut ſenſus ſit, de cauſis feudalibus cognoſcere poſſe Epiſcopum, maxime conſecratum. Gloſſa marginalis in eo textu teſtatur in codice Barbatiæ legi, *confirmatus, vel conſecratus*: ſed nec in ſecunda collectione, nec in ulla alia inveni ita legi. Quare retenta vulgari littera, D. Ildefonſus de Avila, apud Salmantic. D. Bartholomæi collegii alumnus *in præſenti, n. 12.* affirmat in eo textu verbum *conſecratus*, non ſumi ſtricte, & rigoroſe pro ordinato Epiſcopo, ſed pro Epiſcopo jam devoto, & mancipato Eccleſiæ; quia ſicut res conſecratæ dicuntur, quæ cultui divino deſtinatæ ſunt, licet unctione ſacra non ſint delinitæ, *c. nulli, 12. q. 2. §. ſacræ, Inſtit. de rerum diviſ. l. ſi quando 30. C. de bonis vacant. l. 10. l. pergit 5. C. de ſepulc. viol.* ita Epiſcopus devotus, & deſtinatus Eccleſiæ, late poteſt appellari conſecratus. Sed nec hanc ſubtilis ingenii interpretationem admittunt ea verba, *Ex quo Epiſcopus fuerit in Eccleſia conſecratus*; quæ expreſſe exigunt conſecrationem ipſius Epiſcopi. Cujacius in eo textu affirmat Epiſcopum confirmatum non poſſe exercere juriſdictionem in omnibus cauſis, ſed tantum reſpectu clerici contumacis, juxta noſtrum textum. Sed omnibus his omiſſis exiſtimo, aliam eſſe mentem Pontificis; obſervo ergo ibi tractari de feudis ſpectantibus ad Eccleſiam vacantem, in qua confirmatus erat Epiſcopus: ſed ut ſupra dixi, Epiſcopus non conſecratus, licet exerceat, quæ ſunt juriſdictionis, tamen non poteſt attingere, aut aliquid diſponere de rebus aut fructibus Eccleſiæ, ut ſupra probavi: ideo ergo in eo textu deſideratur, ut ſit conſecratus, nec ſufficit confirmatus; quia de feudis ipſius Eccleſiæ agebatur, & per conſequens de rebus ad ipſam Eccleſiam pertinentibus.

12 Exponitur c. cum dilecti de purg. Secundo obſtat text. *in c. cum dilecti 15. de purgat. can.* in illis verbis: *Purgationem indictam ab electo Conſtantienſi curaverit exhibere.* Ex quibus depromitur, Epiſcopum tantum electum potuiſſe punire, & animadvertere in clericum inceſtuoſum: igitur non deſideratur, ut ſit confirmatus, ut quæ ſunt juriſdictionis, valeat exercere. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt dicendo, in eo textu electum Epiſcopum accipi pro confirmato, quia Epiſcopus uſquedum conſecretur, ſemper appellatur electus, *c. tua 8. de his quæ fiunt a Prælat.* quare dum eſſet confirmatus, potuit juriſdictionem exercere.

13 Exponitur c. cum olim 7. de dolo, & contum. Tertio ſupra traditæ aſſertioni obſtat textus *in c. cum olim, de dolo, & contumac.* in illis verbis: *Adminiſtrationem Roſtenſis Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus committatis.* Ex quibus deducitur, Epiſcopum confirmatum non ideo ſtatim poſſe adminiſtrare in propria Eccleſia res temporales, aut ſpirituales. Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, quod licet Epiſcopus confirmatus poſſit exercere omnia, quæ ſunt juriſdictionis, & etiam adminiſtrare res etiam temporales ipſius Eccleſiæ; id tamen procedit, quando confirmatio legitime, & quiete facta eſt: at vero cum ſuper ipſa confirmatione, ſeu electione lis mota eſt, & agitatur, non poteſt ſe immiſcere Epiſcopus, etiam confirmatus, adminiſtrationi rerum temporalium, ſeu ſpiritualium ipſius Eccleſiæ: quo caſu procedit textus *in dict. cap. cum olim*, ut facile ex ejus ſerie colligitur, & notavit Abbas ibi, *numer. 7.*

C A P U T XVI.

a Innocentius III. *N. de Cella S. Petri, & N. Mitren. Abbatibus, & N. Præpoſito Vverden.*

CUm inter dilectum filium R. ſeniorem, & R. juniorem, ſuper Abbatia Scaffuſenſi quæſtio verteretur, eis in noſtra præſentia conſtitutis, dilectos filios G. Sanctorum Coſmæ, & Damiani, & G. S. Mariæ in Aquiro Diaconos *b* Cardinales dedimus auditores, in quorum præſentia pro R. ſeniore fuerunt propoſita, quæ ſequuntur. Quod cum H. quondam Abbas ipſius cœnobii, onus regiminis invito Capitulo ſuo ſpontanee reſignaſſet, & ab obedientia ſua Monachos abſolviſſet, ipſi prædictum R. ſeniorem, dicto H. conſentiente, ſibique obediente cum aliis, in Abbatem unanimiter elegerunt. Poſtea vero electus diœceſano Epiſcopo præſentatus, munus ab eo benedictionis accepit, Eccleſiam ipſam per biennium, & amplius ſicut Abbas proprius adminiſtrans. Verum quoniam moniales S. Agnetis ejuſdem villæ, quæ peccandi materiam junioribus Monachis miniſtrabant, arctiori cuſtodiæ mancipavit, exinde occaſione inventa, juvenes Monachi contra ipſum alios concitarunt, tamquam prædicti H. reſignatio minus canonica extitiſſet: quod audiens Epiſcopus antedictus, ad locum acceſſit, cauſam diſſenſionis requirens, & prædictum H. paterne redarguens, tamquam odii fomitem in Eccleſia ſeminaſſet, accepit ab eo, quod per ipſum talia non fiebant: & cum quidam de Monachis, ipſo Epiſcopo præſente, ſe dicerent ab obedientia præfati H. nullatenus abſolutos, idem H. quod eos abſolverat, eſt profeſſus: & ut omnem a ſe ſuſpicionis materiam amoveret, cum jurejurando vehementer aſſeruit coram Epiſcopo antedicto, quod neque illam, nec aliam habere vellet ulterius Abbatiam. Monachi vero poſt receſſum Epiſcopi ad artes ſolitas nihilominus recurrentes, coram dicto Epiſcopo, & Capitulo Conſtantienſi adverſus eumdem R. controverſiam agitarunt, tamquam minus canonice dictus H. dimiſerit Abbatiam. Cumque dictus R. paratus eſſet de juſtitia ſua incontinenti probare, Monachi defectum cauſſæ ſuæ videntes, in nullo gravati Sedem Apoſtolicam appellarunt, & per litteras infra terminum appellationis per ſubreptionem